Y. 7. 18.

GRATULATIO

ACADEMIÆ Cantabrigienſis

DE REDITU

Sereniſſimi REGIS

GULIELMI III.

POST

Pacem & Libertatem

EUROPÆ

FELICITER

RESTITUTAM

Anno MDCXCVII.

CANTABRIGIÆ,

Typis ACADEMICIS.

316.03

AD

REGEM.

INclyte Rex Britonum, qui (nec tamen hoſte ſubacto)
Semoto pluſquam Victor ab Orbe redis,
Et Pacem (ſed quâ fuerit minor ipſe Triumphus)
Magnificam Tecum, perpetuamque refers.
Dum reduci denſas Tibi porrigit undique lauros
Libera jam curis Anglia, functa malis,
Urbſque ſuas Tibi pandit Opes, & devovet omnes,
Nec Tibi dii faciles quidquam, hominesque negant:
Accipe, Muſarum famuli quod poſſumus unum,
Carmina, Pierii munera docta Chori.

Accipe, ſed vultu quo Pacem atque otia Mundo
Donâſti, Grantæ parva tributa tuæ:
Nec tu, quanquam alacri Europe tonat undiq; plauſu,
Accinit innumeris & Tibi Fama tubis,
Muſarum interea tenues contemnere cantus
Obſequii plenos, officiique velis,
Digna quidem Tanto non ſunt Heroe, jacentque
Infra argumentum Carmina noſtra ſuum;
Sed tua dum canimus Benefacta, & debita noſtra,
Et quàm Te fido pectore Granta colit,
(Ex animo quoniam loquimur, ſanctéque) Poëtæ,
Si modo poſſimus, nolumus eſſe nimis.

Procancellarius

Academiæ Cantabrigienſis.

PAX

PAx bellicoſam fregerat indolem
Pubis *Britannæ*, longaque inertia
Obduxerat rubiginoſo
Arma ſitu, vitiiſque mentes;
Tandem ſolutas mollitie manus,
Fractumque robur deſerit invida,
Et Gallico nudam furori
Exhibet, invalidamque Gentem.
Cum corruentem *Naſſovus Angliam*
Fulcire Vindex cœpit, & unica
Cervice Robuſtus labantem
Suſtinuit, dubiamque molem.
Euris protervis impetuoſior
Invictus ignes per medios volat
Virtute ſeptus, nec pharetras,
Colchica nec metuens venena.
Pacem ſequenti non adamantinæ
Obſtare Portæ, non furor obvius,
Non turbinum vis, hoſtiumve
Innumeræ valuere turmæ:
Pacem ſequenti non maria aſpera,
Non congelatis Æquora fluctibus
Obſtare, nec circumſtrepentis
Denſa necis potuêre tela.
Pulchram ille pacem, difficilem licet,
Diſſentientes per populi ſui
Urget querelas inſecutus,
Et celeri premit uſque paſſu.
Atque heu! reduxit poſt Hyemes novem
Diu vagantem per loca devia,
Arctiſque conſtrinxit volucrem
Compedibus, minuitque pennas:
Invicta quid non efficiet manus,
Virtuſque nullis fracta laboribus;
Verique *Cultûs*, atque *Legum*
Et *Patriæ* ſine cæde Vindex!

Jo. Mountagu, S.T.P. *Coll. Trin.* Magiſt.

GRande moræ pretium fert Pax, pone, Anglia, queſtus,
Tarda licèt veniat, non inhoneſta venit.

Arma odiumque ſimul poſuerunt Gallus & Anglus,
Mutatoſque animos Fœdere junxit amor.
Qui coîêre pares infeſtis undique ſignis,
Nunc juncti coeunt undique Pace pares.
Alterum uterque Armis voluit ſuperare, benigno
Alterum uterque animo nunc ſuperare velit.
Hoc unum innumeros ſuperat, Lodovice, triumphos,
Regnandi cupidum te domuiſſe animum.
Cum gerat adjunctam palmis GULIELMUS Olivam,
Nil Orbis, titulis quod magis addat, habet.

Art. Anneſley Filius natu minimus Comitis de *Angleſey* defuncti. *Coll. D. Magd.*

Ad Academiam.

REgem jamdudum longè ſuper Æthera notum
Icariis pluſquam pennis tua Muſa ſequatur,
Donec ſublimi tangas tu vertice Cœlum;
Tunc tandem Magni Regis requieſce ſub umbra.

Carolus North Filius Domini *Caroli North*, nuper Baronis de *Kirtling*, A. M. Coll. D. *Magdal.*

CLaſſica ſat ſonuêre, ſat horrida Tympana, bello:
Pacificam tandem poſcit Apollo lyram.
Sat Marti furiiſque datum eſt, gladioque cruento:
En! ſacri redeunt jam tibi, Muſa, dies.
Ergo age; nunc placido modulemur carmina cantu:
Carmina dulciloquis Halcyonæa ſonis:
Carmina digna Deo, qui nobis otia fecit,
At quæ ſint tanto carmina digna Deo?
Quis laudes, GULIELME, tuas, niſi carmine doctus
Æque ac tu bello, dicere dignus erit?
Quiſve tibi lauri Victricis ſerta parabit,
Ni decorant frontem Laurea ſerta ſuam?
At, precor, ignoſcas: pietas me fervida cogit;
Quæque negant Muſæ carmina, fundit amor.
Salve feſta Dies! ſalve Rex Maxime Regum!
Invidet hunc titulum nemo, WILHELME, tibi.
Ecce ſuam tribuit Germania juſta ſalutem,
Quam facilè accepit, Te mediante, tibi.

Te

Te ſibi præſidium columenque fatentur Iberi,
Atque tibi primo munera grata ferunt.
Te Servatorem Batavi venerantur amantque,
Lætaque Flandriaci qui colit arva ſoli.
Ante pedes humilis proſtrata Subaudia veſtros,
Infenſi veniam mæſta tremenſque petit.
Ipſe minax olim Gallus, ſuccumbere doctus,
Ereptam palmam, non ſine jure, dolet:
Te tamen ipſius gaudet ſuccedere Lauris,
Quemque hoſtem timuit, nunc reverenter amat.
Te ſocium exoptant Veneti, Suecique Danique,
Quæque tibi fulvas India mittit opes.
Sed quid plura loquar? ſua debita Fama WILHELMO
Solvit, & Europæ claret ubique Deus.
Audiit hæc, ſtupuitque diu, Moſcovius Heros,
Quæque fidem ſuperant vera videre cupit;
Adfuit, & famæ credit, ſed credit iniquam,
Majora auditis ſæpius acta videns.
Te ſpectat, miratur, amat, meditatur, adorat,
Adque tuum exemplum ſe, GULIELME, parat.
Talis es & tantus peregrini Gentibus orbis;
At quanto major, charior atque tuis?
Jamdudum Eöo veniens à littore, noſtros
Fama tui valuit pellere ſola metûs.
Ipſe venis, fugiunt hoſtes: vel, numinis inſtar,
Inviſus terres, Nomine vincis, ovas.
Rem, vitam reddis, violataque jura reſarcis,
Auſpiciiſque tuis omnia læta fiuunt.
Hinc noſtri affectûs, hinc hinc laudabilis ardor
Quem tribuit meritis Anglia grata tuis:
Quemque novis flammis benefacta auxêre ſecunda,
Cura domi patriæ, Bellaque geſta foris;
Bella, tremo! quæ te quoties, GULIELME, vocârunt,
Angligenûm Genti ſunt minitata necem.
At ſumus in tuto; Vivit GULIELMUS, ad ulnas
Expanſas populi plenus honore redit.
Dextra tenet Sceptrum, gladioque haſtaque repôſtis
Altera ſecuræ Fœdera pacis habet.
Plurima Victoris devincit Laurea frontem,
Plurima Pacifici vincit Oliva comas.
Illinc Naſſôviæ celebratur Gloria gentis;
Hincque Britannorum fortia facta canunt.

Hic rapta humana pluſquam Virtute trophæa,
Illic felicis munera Pacis eunt.
Quocunque aſpicimus, nihil eſt niſi amabile viſu,
Copia, Divitiæ, Gloria, tuta Quies.
O nos felices! tali ſub Rege fruentes,
Æquora quicquid habent, terra, poluſve, Boni.

Gul. Dawes Baronettus, S.T.P. Aul. D. *Cath.* Mag.

PAndite Caſtalios, Muſæ, nunc pandite fontes,
Nunc, ſi quando, hilares ſollicitate modos.
Pieriam reduci Domino properate Coronam,
At quæ Naſſaviis digna Corona comis?
Non renuunt Superi ſua cingi altaria ſertis,
Caſtæ ſerta aris ſi poſuere manus;
Tu quoque, ſed facili, Rex Invictiſſime, vultu,
Accipe quæ caſtæ dant Tibi dona Deæ.
Proſtratas memorare acies, Urbeſque redactas,
Aſſertumque tuis legibus Oceanum;
Argumentum ingens, ſed non ſuperabile; quod non
Impleat Andinæ ſpiritus ipſe Tubæ.
At canere, ut poſitis miteſcunt Secula bellis,
Ut ſubitò hoſtiles detumuêre minæ;
Hoc magis, ut nuper Votis, ita Viribus aptum,
Noſtræ materies gratior iſta Togæ.
Salve igitur! quocum Britonas Pax alma reviſit,
Et ſulcat fulvis rura beata rotis.
Arma, metumque ſatis peregrina in Caſtra tuliſti,
Jam veſtris faciens Otia, Cæſar ades!
Otia, queis ſacræ recreantur Apollinis artes,
Argutæ & redeunt Lingua, ſonuſque Lyræ.
Hoc ideo medios inter patiare Triumphos,
Per quem non muta eſt, ut Tibi Muſa canat.
Sic ubi dimidio fictum ſtat Memnone ſaxum,
Eöis ſimulac Sol juga luſtrat equis;
Cujus ab aſpectu Marmor propiore caleſcit,
Præſentem celebrant fila canora Deum.

S. Blithe S.T.P. Aul. *Clar.* Cuſtos.

OPlus quam Regem! qui poſſes claudere Jani
Limina funeſti, ructantes fulmina portas,

Oſtia

Oſtia Flammivomo late ſtridentia letho.
Qui Janum citus occludens, ſurgentia Pauli
(Nunc iterum rapti in cœlum) penetralia magna
Pandere contendis: Paulo nutritius inſta
Angliaco Pater; Is rerum tutela ſaluſque
Veſtrarum ſtabit, tentoria nectere ſuetus.

N. Vincent, S.T.P. A. *Cl.* Pr.

COmprimat infauſtum feralis Buccina ſignum,
Horridaque æternùm ſileant jam Tympana; ſævos,
Quos auxêre, ſinant animis ceſſare furores.
Vomeris obtuſi formam nunc induat Enſis,
Sanguinea inque pedum formoſum tranſeat Haſta.
Tormentum horrendum, dirum necis inſtrumentum,
Urceoli & pelves fiant; jamque exulet *ater*
Pulvis ad Inferni Furias, unde attulit Author.
Cædis jam ſatis eſt, ſat Sanguinis arva bibêre
Belgica; ſemianimes hominum non amplius offas
Dilaceret lupus, aut ſpirantia viſcera corvi;
Oſſaque equorum hominumque nec amplius aggerat unà
Ruſticus, & nullo ritu aut diſcrimine condat.
Non rapiant Urbes, nec ſplendida tecta volantes
Ætnæ; dejiciant nec ferrea Fulmina turres.
Quilibet infenſo nec milite Sexus & Ætas
Unam nunc ſubeant immanem Carnificinam.
Sponſa pudicitiam nunc ſervet, Sponſus & Illam.
Non genus humanum, cœleſtis originis, ultrà
Barbara vis Brutis, Furor aut injurius æquet.
Dives opum, dives populi, diveſque ſagacis
Conſilii, tum quum Lodovicus moverat Arma,
Gallicus atque uni jam non ſuffecerat Orbis;
Surrexêre Duces, armato milite contrà,
Teutones, Hiſpani, Suevi, Batavi atque Britanni;
Crudaque conjunctis venêre in prælia curis.
Heu miſeranda dies! heu deſignata viciſſim
Pernicies! votiſque alternis certa Ruina!
Haud mora, vicinas Violentia ſævit in oras
Mutua, collucent inimicis ignibus Urbes;
Et quæ vix Ævum fixit, brevis abripit Hora.
Sanguine tota ſuo fumans Europa, pudendos
Oſtentat paſſim confuſæ ſtragis acervos.

Quis narrare queat vel Corpora fœda cruore
Heroum, turpive obducta Cadavera Tabo?
Quis narrata pati? quæ Machina facta, quot Artes,
Moles quanta, brevis reſcindere ſtamina Vitæ?
Quos non dilaniat Gladius, *Globus* impetit ictu;
Turbine & ut ſævo paleæ rapiuntur inanes,
Hic Bombarda metit Turmas, vis Fluminis illic.
Irruit in medias acies delecta Juventus
Haud ſecus ac Choreas alacris celebraverit antè.
Fit luſus nimium properanti occurrere morti.
Nec certamen erat quis poſſit Vivere, ſed quis
Fortius audacem moriendo vinceret Hoſtem.
Proh pudor! Æthereæ tam vili penditis auræ
Particulam? vobis adeone ignobile Donum
Vita fuit? cauſa & de qualibet abjiciendum?
Tam citò præſentis ſec'li Flos, Speſque futuri,
Vota Puellarum, Sponſarum cura, peribunt?
Nec bona Verba, Preces, Lachrymæ, Gemituſve retardent?
Muſa ſile. Magnis dum cordibus æſtuat Ira,
Nil Ratio, vel recta, valet, Suadela nec ipſa.
Solus, qui mundi prima ſub origine tetris
Excuſſit tenebris pulcherrima Lumina Solis,
Aſtrorumque globos, Ignemque, & mille Colorum
Immortale Decus, (formoſam Lucis amatæ
Progeniem;) Belli mediis è luctibus almæ
Inſperata poteſt affundere Gaudia Pacis.
Dixit, & eſt. Primos homines qui condidit, uno
Exque luto fingens præcordia, ſanguine junxit;
Atque omnes propria ſignavit Imagine; ſparſos
Primævi igniculos animis revocavit Amoris,
Ipſe Amor; extirpanſque Irarum ſemina, & acris
Diſſidii, *Ipſa* deos iterum *Concordia* fecit.
Ille Deus, Pelagus qui caſtigare profundum,
Et conjuratos poſſit compeſcere Ventos;
Audaces animos elataque pectora Galli
Corripuit, frænumque feris injecit Iernis.
Ac velut æſtivæ cum vento agitantur ariſtæ,
Ad ſua mox redeunt erectis Æquora culmis,
Atque uno tandem maturæ Faſce ligantur;
Haud ſecus Omnipotens divino flamine Numen
Senſa profunda Ducum, Regumque Arcana revolvens,
Dulcis amicitiæ ſtudium perduxit in Unum,

Ac

Ac ſtabili tandem ſociavit fœdere Mentes.
Dux erat Illuſtris Famæ, quem nobilitabat
Non magis Heroum Sanguis, quam vivida Virtus;
Gnarus erat Rerum, librabat & omnia recto
Judicio; tectiſque imo ſub pectore Curis,
Quod ſtatuebat, Agebat; in armis Cautus, at Audax,
Propoſitique tenax; nec dira Pericula captans,
Nec fugiens, metuenſve; nec unquam motus Amicâ
Sorte, vel Adversâ, ſemper ſedatus & Idem.
Numinis intemeratus ei ſuper omnia curæ
Cultus erat, Romæque amotâ Appendice Verum.
Arma nec urgebat, ſubitum niſi jungere terris
Auxilium Afflictis, vi vimque repellere Belli.
Unde erat his meritò Titulis inſignis, *Avitæ*
Defenſor Fidei, Libertatiſque Redemptor.
Hunc Deus, & magnis natum, & majoribus auctum
Dotibus, ante alios Authorem deſtinat omnes,
Exhauſtos bello populos qui Pace bearet,
Aſtræamque iterum fugientem redderet Orbi.
Tutus & intactus mediis in Mortibus ibat,
Omnipotente Dei ſemper velamine cinctus.
Nil contrà Inſidiis mentes potuere malignæ,
Vis nec aperta; Stygis quicquam valuere nec Artes.
Hiſpanis, Bataviſque hic Murus aheneus; unuſque
Hic Sociis Columen; quem non Hic conterat Hoſtem?
Unicus & Belli Paciſque Hic Arbiter extat;
Et tumidos Gallos, truculentum & ſternit Iernum;
Excutit Audaces cœptis terraque marique,
Nec ſinit innocuas impunè invadere Gentes;
Viribus ac tandem exhauſtos, inopeſque futuri
Conſilii, Rerumque, ſuo ſuccumbere cogit
Arbitrio, gratamque avidos expoſcere Pacem.
Haud ita Magnanimos ſævo Mavorte Britannos
Occupat, at blandis ſtudiis, mentiſque benignæ
Officiis vincit; meritiſque ad Sceptra vocatus,
Legibus admittit juſtis, facilique Volentes
Imperio; ſonteſque facit Clementia ſanos.
Auſpiciis Cœli ſic debellare ſuperbos,
Atque reluctantes molli componere nexu
Gloria quam magna eſt; facta ſed Pace, Seipſum
Parcendo miſeris Victorem vincere, major.
Plaudite Grantigenæ, lætæque recurrite Muſæ;

GRATULATIO

Jam veneranda ſuos deponat Granta timores;
Vivat adhuc, doctoſque ſuos, ſecura futuri,
Inſtaurare Choros pergat; *Laticeſ*que Latinâ
Antiquos ſine fæce bibat; *Lucem*que ſupernam
Diſtribuat, maculis terrenis neſcia condi.

Joannes Covel, S. T. P. *Coll. Chriſt.* Cuſtos.

De P A C E ſancita,

Ad R E G E M Gratulatio.

FEſtinat dum Nauta ſinus implere ſecundos,
Angliadumque petens littora carpit iter;
Pacificum Maris unda vehit, cupit inſula Regem;
Firmaque ſtat Domino Terra Britanna ſuo.
Obſequium ſpondet ſic Scotia, diſcit Hyberne;
Quantus Rex, Princeps, Anglus & Auriacus!
Si det pacatos Æther, det Ripa triumphos,
Auſpicio & Ductu Gratus ubique redit.
Viſendi ſtudio, latè per ſtrata viarum
Opperiens Reducem, ſe vaga Turba movet.
Exercet lætos Trinobantûm Copia plauſus,
Hoſpite vicino Compita tota ſtrepunt.
Vocibus ingeminant ſociæ Commercia Gentes,
Cæſareaſque Domos fulcit opima Quies.
Donec Germanis Urbs ſepta eſt, Aula Batavis,
Utraque (vi Britonum) ceu minor Orbis erit.
Adſit cana Fides, Veſtam concordia ſervet;
Diique ferant patrii Relligionis opem.
Nè Delubra premat ſævæ contagio Romæ,
Sanas cuſtodit Cluſius ipſe fores.
Sub Lare, perque caſas, Geniali fruge Colonus
Serta tegit; Cereris dona Popellus habet.
Iſidis exultant placido Vada mollia rivo,
Gaudet & aſſuetis Camus amænus aquis.
Inclyta Naſſoviæ debetur Gloria palmæ;
Auctus, ſedato Marte, reſurgit Honos.
Nulla videt tabo dilapſa cadavera Miles,
Murmurat Hoſtili nec Tuba rauca ſono:
Nulla reformidat Prædonum carbaſa Nereus,
Intrepidam reddunt æquor & ora Thetin.

Ferrea

Ferrea non ſubigunt munitas verbera Claſſes,
Nec calet accenſis Machina ſpiſſa globis.
Cædem Quiſquis amat, vecors tranſire Tibiſcum
Deſtinet Hic, Lunæ Signifer atque comes.
Expendit res Libra, Dies proceſſit; in ævum,
Tempora ſorte pari cætera Pacis eant.
Europæ fines an Regia fama pererrat?
Nil, licèt invideat, debilis Ira nocet.

Sacrârunt Veteres ſemel icto Fœdere paſſus;
Quam, GULIELME, paras, undique Sacra Via eſt.
Cinge caput, Diadema oleis Pacalibus orna;
Mitis Sceptra gerit, Fortis & Arma, manus.
Victor ovans expertus eras, florente Juventa,
Prælia tot, volvens Mira quot annus agit.
Cunctando ſuades, properas redimendo paciſci;
Bello Alios cohibes, Pace Tuoſque regis.

V. Stubbe, S. T. P. *Heb. L. Pr. Trin. Coll.* Soc.

QUI decus Armorum fueras, GULIELME, triumphos,
Nunc agis: & Magnum Pacis Oliva facit.
Si magis Auguſtum, qui Maximus Ipſe fuiſti,
Te dare; terreſtrem, poſſit Oliva Deum.
Quidquid enim loqueris, ſpirat pietatis amorem,
Quique loqui potis es: quique tacere potes.
Quidquid agis, vel quid generoſo pectore volvis,
Altior ex factis, inde reſurgit honos.
Quem placidum, beat alma quies, in mente ſerena
Quamvis Regali, fulgur in ore micat.
Nec velis, ut tua ſit, Pacis, vel tempore belli,
Gloria: ſed Domini; quæ bene claudat opus.
Poſtquam igitur, laudes reſonant lituique tubæque,
Exigit, hic, pacis, carmina læta Dies.
Et celebrare decet, tua, te redeunte, Trophæa,
Muſas: quæ triſtes, te fugiente, ſilent.
Ergo age, Cæſar ovans! ferias Tu vertice Cœlum,
Et modo, ſub pedibus, terra ſit ima tuis.
Quo Regnante, novo Muſæ, ſplendore triumphant
Stante, ſtabit Virtus, Teque cadente, cadet.
O quam felices Reditus tuus attulit annos!
Mortiferâ niſi ſint impietate breves.

Cura ſit ergo, precor, dum cingit adorea Frontem,
Ut vigeat cultus, Pace vigente, Dei.
Eſto ſimul patriæ, bello ceſſante, Columna,
Avolet ac timidum, Te Veniente, ſcelus.
Et Tibi, pro meritis, Academia ſolvet honores,
Atque Deo juſtas offeret illa preces.
Hoſtibus ut Terror fias, & charus amicis,
Floreat Imperium: ſit tibi longa quies.
Et nunquam valeat ſplendens Decor ire ſub Umbras,
Dum tua ſupremum mens petat alta Deum.
Et poſtquam celebris decoravit tempora Laurus,
Illuſtret frontem Diva Corona Tuam.

Tho. Thurlin S.T.P. *Coll. D. Johan.* Præſ.

VIctrici toties redimitum tempora *Lauro*,
Nunc, Auguſte, Tuum cingat *Oliva* caput.
Bellantis vultum quis non exhorruit *Hoſtis*?
Pacifici quis non lumina *Civis* amat?
Defuit hoc unum, nobis ut gratior eſſes,
Noſter & immensùm creſcere poſſet amor.
Jam, niſi quâ Auriacos decantet Fama triumphos,
Terribilis rauco non canit ære Tuba;
Nec ferus auditur coeuntûm in prælia Clamor,
Sed qui Naſſovium Nomen ad aſtra ferat:
Rex populum dulci jam vincere certat amore,
Et Regem populus; lis ea ſola manet:
Bella ſilent, toties Tibi quæ fecere timores,
Anglia, pro charo Principe ſollicitæ;
Ah! quoties triſtem Te ſemianimemque reliquit,
Poſceret in Bellum publica quando Salus?
Ah! quoties, cum facta ingentia Fama ferebat,
(Auſis, Armipotens, æmula facta tuis)
Quos acer ruerit, quos vix evaſerit hoſtes,
Defecit gelido mens Tibi victa metu?
Nunc trepidi fugêre dies, cauſaſque timorum
Præpetibus pennis abripuere Noti:
Nunc Tuus eſt WILHELMUS; habes nunc, Anglia, totum;
Totum Pax ulnis rettulit alma Tuis:
Nec metuas nova ne perturbent Bella quietem,
Naſſovium dum, qui Te tueatur, habes:

Quam

Quam non ſuſtinuit Lodoix, & Gallia dextram,
Nullus, qui poſthac Marte laceſſat, erit.

Car. Roderick S.T.P. Coll. *Regal.* Præpoſitus.

Sic Deum & Regem GULIELMUM *affatur* Ludovicus *Magnus.*

QUI ſoli poſſunt, obſtant ingentibus auſis,
Tu Deus Omnipotens, & Tu Rex Maxime Regum.

Gabriel Quadring S.T.P. Coll. *Magd.* Præfectus.

CUM Batavis olim latè inſultaverat Hoſtis
Gallicus, & pavidis inſtarent agmina Portis;
Conſiliis, GULIELME, tuis tua Belgia nixa
Tuta ſtetit, victaque coacti cedere terra
Feſtinant Galli proprios defendere fines.
Viribus hæc Juvenis Batavis inſtructus agebas,
Cum fuit Imperii nondum firmata poteſtas:
At majora virum, Regem majora decebant,
Præcipue, Angligenas ducentem in Prælia turmas.
Idcirco, GULIELME, horis felicibus ævum
Ducere, ſecuruſque tuis dare jura Britannis,
Cum poteras, placuit potius moderarier Orbi;
Ignavumque nequis Epicuri ut Numen amicos
Negligere oppreſſos, & non res cernere Mundi.
Hinc Ludovicus opes tam vi quam fraude paratas
Evomit, Imperioque ſuo contentus abibit:
Spretaque Pax olim jam grata recurrit, & illi
Grandior eſt aliis, à Te conceſſa, triumphis.

P. Cock, Coll. *Trin.* Soc. & Acad. Procurator Senior.

Ad REGEM Expectatiſſimum.

PArce tuo tandem, Mavors invicte, furori:
Ecce! ſuas geſtit Pax variare vices.
Expoſcunt Galli, nec rejicit Anglia pacem:
Tuque ait, eſto redux, hinc amor, inde metus.
Parce Tibi; neu quis poſt tot diſcrimina caſus
Venturum tardet diſtineatve diu.
Gens cupit incolumem Te, vix tamen anxia credit,
A cujus pendet noſtra ſalute ſalus.

E. Oliver C.C.C. Soc. & Acad. Proc. alter.

GRATULATIO

OMnia tuta ſuis CÆSAR jam fecerat ANGLIS,
Longe ſummotis Marte truci & Furiis;
Fecerat, ut Nobis fluerent grata Otia, MATER
Exceptos gremio quos fovet ALMA ſuo;
Fruſtra: Ipſe interea miſcebat prælia; triſtes
Unum hoc Nos omnes ſollicitoſque habuit,
Dum ruit intrepidus per tot diſcrimina, Nobis
Otia quæ fecit, carpere non licuit.
Senſerat: & tandem *Lodoico* juſta petenti
Annuit; & Pacem Gentibus eſſe dedit.
Felices animi, quibus immatura negârat
Ætas & ſapere, & poſſe timere mala;
Quêis neſcire dedit, quantum Bellona cruentis
Gauderet, ſævi quam grave Martis Opus:
Vobis dum Ratio divina affulget, opimis
Unà affulgebit Pax decorata Bonis.
Auſpice, WILHELMO, nec Curis læſa nec Ira
Perpetuùm Vobis Gaudia pura fluunt.
Auſpiciis WILHELME, tuis datur omnibus, Ævi
Felices iſtud vivere quod ſupereſt.

Rob. Cannon, A. M. Coll. *Regal.* Soc. è Sen. &
Acad. Taxat. Sen.

QUaliter Oceano tollentibus Æquora ventis,
Navita quum tumidas pallidus horret aquas,
Inde minax Bellum miſeris intentat Orion,
Hinc urgent Hyades ſydera iniqua nimis,
Turbato properat Nereus accurrere ponto,
In ſua qui refluas Littora cogit aquas;
Haud aliter nobis inimicum cœlitus imbrem
Et diri paſſis tædia longa Freti,
Naſſovius Pacem tandem ſolemque reducit,
Europæ optatam qui tulit æquus opem;
Optime nempe tibi Rex ponit Gallia faſtum,
Exuit & tetricas Imperioſa minas;
Te dudum Bellona ſuis exercuit armis,
Te celebret ſtudio jam Toga læta pari.

Audoenus Hughes, LL. B. & A. M. Aul. *Trin.*
Soc. Taxatorum alter.

Proji-

Indignatio Libera.

PRojicite ampullas, ſolitoſque remittite flatus,
Gali canori *Rhetores*,
Vateſque, *Hiſtoricique*, quibus vox ferrea, *Grandis*
Lodoix! nihilque aliud crepat.
Scilicet audierit *Lodoix*, *Non pluribus impar!*
Dominator Orbis! *Unicus*
Sol! Heros! *Dux Fulmineus*! *Diis proxima cervix*!
Populiſque adorandum Caput!
Cymbala ad hæc, Phrygiæ Matris ceu Tympana, criſtas
Semiviri, ut aureſque arrigunt!
Thyrſo ut, Iacche, tuo, aut Bellonæ percita Mænas
Fanatico æſtro; tinnula
Sic ſiſtra hæc quaſſant, Francûm exululantque per Urbes,
Evoe Lodoix! *Evoe*, *Lodoix*!
His crotalis ſenio delira anus, atque fatiſcens
Sorbona, mulcet *Vejovem*.
Æmula ructatur *Clari* ut *Schola Montis* anhelans
Tumido ore bullas futiles;
Io! Loyolæ reboant Gymnaſia, Roſtraque
Io! & Theatra perſonant.
Laudibus immodicis Lodoicis ut omnia fervent
Lycæa, Templa, & Porticus?
Quotque examina apum per Hymettia rura, vel Hyblam;
Tot Rhetorum illic bombinant.
Quot Muſcæ, Veſpæ, importuno & murmure fuci;
Tot tinnula hic Vatum agmina
Undique funduntur, Magna & circum Atria ſtrident
Lyræ fidicines Gallicæ,
Cornicines quoque tot, qui eadem ſermone pedeſtri,
Eadem & ſoluto ebuccinant.
Meneſtrerî effrons laudator, nec minus audax
Varillaci, ac *Peliſſoni*,
D'orlanti, petulanſque *Bohurſi*, ardenſque *Fraguiri*,
Tu *Santoli*, & Tu *Pererî*.
Quo tot Claſſica! quo tot caſſa Epinicia! belli
Sacerrimi ô tot Tubicines!
Verſaliâ hæc, altâ & Luparâ, gens aſſentatrix,
Dominoque adulans jactitat.
Nec ſatis hæc; ſed enim latrax, mordaxque, Dynaſtas
Reges, Duceſque in exteros

---

i V. Lib. cui tit. *Apollo Francicus.*

Bacchare. Auguſtum at WILHELMI in ſæcula nomen,
Sanctiſſimum terris Caput,
Devoviſſe quid attinet? aut temeraſſe nefandis
Diriſque Contumeliis?
Hinc infamia quanta, tuæ &, bone Loyola, ſectæ
Hinc creſcet opprobrii ſeges?
Turba gravis Paci, placidæque inimica quieti,
Calumniarum at deſinat:
Turba procax, Reges ſueta, & latrare Dynaſtas,
Conviciorum & deſinat.
Gens infenſa Tibi, WILHELME, tuiſque Britannis,
Orbiſque Carcinomata.
Rabula quot probra, vel jactans effutit Agyrtes,
Credi ſibi num poſtulat?
Totne ignominias impunè famelica turba,
Chartis ineptis illinet?
Sit pudor & finis. Clamorem inhibete profanum,
Et Nœnias ſiſtite impias.
Cernite quot riſus veſtri movêre tumultus,
Stomachumque ut orbi moverint!
Cernite ut obvertunt ora! utque hinc ſurgit & illinc,
Liberrima indignatio!
Hos, Tu, *Richelidæ* fundata *Academia*, fumos
Quouſque venditaveris?
Hem! quo grandiſoni tibi concidit oris hiatus!
Urbanitatis Gallicæ
Hem jecur! inſulſi ecquando te nauſea cantus?
Nunquamne tædia ceperint?
Hui mendax Lyra 1 *Boilæi!* & Tuba rauca 2 *Peralti!*
Veſaniente turbidos
Faſtu Borbonidæ tumidis ſermonibus aures
Inflâſſe quid *tot Gloriis*
Juverit? O nullis abolenda infamia ſec'lis
Tui, Peralte, ſeculi!
Quinetiam inſcripti *Lodoicis* nomina 3 *Faſti*,
Procul hinc faceſſite lugubres.
Mentitis titulis *Franci* ventoſa *Gradivi*
Hui! detumeſcat pagina.
Scilicet hic veſter Salmoneus *fulmina torquet*,
Capitiſque radiatum jubar!

---

1 V. Boilæi *Oda Pindarica, cujus titulus* Namurcum *expugnatum.* 2 V. Peralti *Poema* cui tit. *Seculum* Ludovici *Magni.* 3 V. *Faſti* Ludovici *Magni Ed.* Paris. 1694. *Latinè & Gallicè.*

Siccine

Siccine veſtra *Viro Immortali* altaria fumant;
Dona & vaporant thurea?
Sed bene habet. *Lodoix* ingentibus excidit auſis,
Diis & minorem ſe gerit.
Inſurgens juſtis acer *Naſſovius* armis,
Terra, Huic Mari & circumfluo
Reſtitit; hærentis Belgarum finibus hoſtis,
Fractoſque retudit impetus.
Roſtro hebeti ut pavitans, paſſiſque it languidus alis,
Penniſque defluentibus!
Deplumem cicuremque, palàm oſtentavit, & Orbi
WILLHELMUS, en! domabilem.
Legibus ecce! ut Fœderis æqui, & Pacis honeſtæ,
Dat ſe obſequentem & ſubjugum.
Latius hinc diſcant olim imperitare Tyranni,
Avidum domando Spiritum.
Noſcere jam dabitur quis juſtior induit arma,
Quis viribus par, quis prior.
Impones fræna imperiis, WILHELME, ſuperbis, que
Obicem evaganti injuriæ.
Quem ſplendor tuus, & Mavortius ardor aduſſit,
Dudum erubeſcenda face,
Compoſitis armis Francus tua Sceptra veretur,
Utcunque degener invidet.
Detrahat at tantis Livor, nilve obſtrepat auſis,
Aut deterat Calumnia.
Hæc videt oblimans; videt, invituſque fatetur,
Vel in hoſte quæ laudaverit.
Abſcedat procul hinc jactantia, turpis, & excors
Faceſſat aſſentatio.
Vox diverſa ſonet; populorum at votaque, plauſuſque,
Ora hoſtium obturaverint.
Macte Heros! gaude æternùm per conſcia corda,
Mercede virtutis tuæ.
Dotibus ingenitis ô præſtans Sceptriger! omnes
Dudum ſupergreſſus Duces.
Cui Bellatorum chorus aſſurrexerit, omnis
Apexque Regum ceſſerit.
Militiam, & grave Martis opus, duroſque labores
Animoſus ut exhauſeris!
Optime Regnantûm, qua Sol utrinque recurrens,
Vel promit, vel condit diem!

Ecquis erit tua, Mæonii jam carminis ales,
Dignis honorum præmiis,
Tot laudum monumenta tuarum æternet in ævum;
Decora alta qui tot & arduis
Quæsitos meritis Titulos, Fastosque retexet?
Æquare sed enim hæc haud datur;
Nec fas, tam levibus numeris; licet ire per omnem
Heroa, mens ardens jubet.
Quem certatim omnis celebrabit Musa Nepotum,
Dum nostra venerans subticet.
Hæc tamen ediscat, tuaque optima facta recensens,
Orditur en! sec'lum novum.
Pandantur Famæ tabularia: magna sonantûm
Vatum ora quantus impleat
WILHELMUS? Tibi *Diva* omnes ut subrigit aures!
Ut lassat Alas, ac Tubas!
Vindice Te, solido ut se munit robore, fortes
Movet & lacertos *Anglia*!
Te Duce, Belgæ equiti ut redit in præcordia virtus,
Decus & resurgit pristinum!
O Patriæ Pater altricis! non digna ferentûmque
Opifer per Orbem Gentium!
Excidiis, sævæque ereptis strage ruinæ,
Tutela præsens Urbibus!
Rex, Ductorque tuis ô multum adamate Britannis,
Belgis quoque *Stator* audias!
Dum palmis Oleas, Lauris caducea nectis;
Hostemque agens retrogradum,
Innocuâque redux pompâ, trahis agmina, nuper
Quà Francus irruit efferus,
Arva Brabanta suis vastans cultoribus; Urbes
Et adussit hostili face.
Classibus & classes, & Castris castra repellis,
Compescis Igneque ignibus:
Regnandi & metas, temerataque jura reponis,
Convulsa Mundi & Fœdera.
Hinc *Magni,* ac pariter *Justi* cognomine dignus,
Regum ferêris Unicus.
Maximus hinc dicêre *Salutifer,* inde *Sequester*
Pacisque; Bellique *Arbiter.*

Johannes Laughton Coll. *Trin.* A. M.

Ad

Ad REGEM.

QUantum Europa tibi, quantum Anglia debeat, armis
Jam positis, si quis scire, GULELME, cupit,
Is quot dira superstitio *mala*, quotque tyrannis,
Quot *bona* libertas, castaque relligio
Adferat humano generi, numeretque putetque:
Comprêndi numero nec tamen ista queunt.
Qui numerare velit, Batavi velit æquoris idem
Dicere quot fluctus ad vada volvit hiems,
Aut quota spumat arena Britanni litoris, aut quod
Et magis infandum est, innumerumque magis,
Dicat quot pugnas dederis, quot fregeris arces,
Rettuleris validâ quotque tropæa manu,
Quot sacrum incertis terrâque marique peric'lis
Obtuleris, fuerit ceu tibi vile, caput,
Quotque, annos jam pœne decem, durosque labores,
Nocteſque insomnes, sollicitosque dies,
Ut nobis *bona* tanta dares, *mala* tanta fugares,
Constanti, & forti pectore pertuleris.

Hen. Bowles, A. M. *Coll. Regal.* Soc. è Sen.

HActenus Armorum laudes & prœlia vestras
Implevêre tubas: tandem Pax lœta Triumphos
Instaurat, sævique occlusit limina Jani.
Regis opus; Qui cum viridi sua Tempora lauro
Impediit victor toties, nunc Pacis amictu
Incedit donis, & fronde insignis Olivæ.
At Vos digna Deâ Musæ, date Principe digna
Carmina: vidistis tandem volventibus annis
Optatum venisse diem; quo Gallia clamat;
Vicisti, GULIELME, tua est Britannia, Pacis
Tolle moras, & quæ meruisti sceptra, fruare.
Ulterius ne tende in me non vana rogantem
Fœdera; Nassovii non semper nominis hostis
Gallia erit; bello atque odiis hic terminus esto.
Haud egò, per si quid sacrum est mortalibus usquam,
Haud ego fraude mala conabor regia sceptra
Extorquere tibi: haud vitam tentare venenis
Fas erit, aut cœci miscere incendia belli;

Non, ſi quis te Marte audebit lædere aperto,
Claſſe opibuſve illos augebo, aut Milite jungam.
Hæc ego: Tu annueris; atque hinc rata fœdera ſunto.
Ex illo Pater armipotens crudelia monſtra
Cædem ad ſe, clademque vocat, ſævumque Furorem:
Jam ſatis irarum laxas habuiſtis habenas,
Sat vobis armiſque datum eſt: deponite tela
Ocyus. Optanti GULIELMUS fœdera Gallo
Annuet: & poſitis miteſcent ſæcula bellis.
Sic ait: atque cavo includens adamantina vinc'la
Imponit, ſtrictiſque ligat poſt terga catenis:
Illi indignantes vaſtâ ſub mole laborant.
Interea Pax alma ſuos temone jugales
Junxerat, & currus diſtinctis floribus aptos,
Inſtruit; ut violæ rident! ut lilia ſpirant!
Flava Ceres illi comes it, cui vertice ſummo
Fluctuat alta ſeges, formoſa papavere colla:
Adfuit & Pomona comes, redimita racemis
Tempora purpureis circum; Florumque coronas
Dulce decus, geſtans capiti turrita Cybele:
Læta ſalus juxta, & niveâ Concordia pallâ:
Sed Pax formoſis formoſior omnibus una.
Quæ ſimul ingreditur currus, cita nubila late
Diffugiunt veniente Deâ. Jamque attigit arces,
Quà Rex magnarum momenta expendere rerum
Doctus, in ambiguo ſervat quâ parte ſedebunt;
Incertus pacem annueret, Gallumne cruento
Ulterius bello urgeret: quod perfidus hoſtis
Vincendique ardor ſuadent & conſcia virtus.
Ut ſubito inſolitâ fulſerunt omnia flammâ,
Purior & lucere æther, fundique comarum
Gratus odor; certe hæc prænuntia Numinis, inquit
Attonitus. Vix fatus erat, Numenque refulſit,
Ora habitumque gerens & candida colla *Mariæ*,
(Illa, Deæ chara ante alias, chariſſima Regi
Illa pio) ſi quâ formæ dulcedine tangat
Ingentes animos, & neſcia pectora flecti:
Agnoſcit Princeps faciem, vultuſque decoros
Conjugis, & ſolitæ pertentant pectora flammæ:
Jamque manus fruſtra tendentem, utque oſcula libet
Dulcia nequicquam prenſantem forma *Mariæ*
Elapſa eſt; pulcramque ambit pro Conjuge Pacem.

Con-

Connubium felix! ex illo Regius Ardor
Annuit, ut positis sibi Gallia consulat armis,
Atque in fœdus eat: Pacis sunt omnia plena
Muneribus: reducemque pio tenet Anglia Regem
Lœta sinu; tenet, amplexus neque classica dulces
Divellent iterum. Bis felix Anglia tali
Principe! Qui te unus potuit servare, ruentis
Imperii stator; afflictis succurrere rebus
Tunc ausus, cum jam turbâssent omnia Romæ
Dira superstitio, & regnandi insana libido:
Unus servatæ potuit tibi fœdera Pacis
Condere duratura, & Gallo imponere morem.
Te modo, Magne Pater, vivacia fata senectæ
Continuent terris! quicquid fuit ante malorum,
Cum nondum Angliaci tua dextra teneret habenas
Imperii; quicquid potuit Furor impius armis,
Cædesque, cladesque, & lenti incendia belli
Hâc mercede placent; si Tu per longa superstes
Tempora, res Britonum præsenti Numine firmes.

Franciscus Hare, A.M. *Coll. Regal.* Soc.

Ad REGEM, in Ignea Meteora.

NE quâ parte Tuis desit Natura Triumphis,
Surgit in obsequium flamma superba Tibi.
Te Mare, Te Tellus Dominum; Te personat Æther,
Hinc homines mulcet Fama; sed inde Jovem.
Vix aliàs posces tantos Tibi, Cæsar, honores;
Vivit in Elogium flamma, peritque Tuum.

Radulphus Blomer, A.B. *Coll. Trin.* Soc.

O Fortunatas Insulas! quibus licet,
Duobus simul ac tantis Bonis frui,
Pace & GULIELMO.
Musa exultat sine modo, & impatiens fœni
Nescio quo vagatur; ignotus adhuc
Me totum tenet Entheus quidam calor
Loca per Aonia novus hospes erro.
Eia agite Musæ cantate arma Virumque
Virum, qui vobis dedit hæc otia & tutos recessus

Vos illi dediſtis diſerto ore loqui,
Neque enim decet Mnemoſyne natas
Patroni veſtri obliviſcier,
Ille ipſe dedit immortalitatis materiam,
Vos, quod voſtrum eſt, formam date.
Salve grande decus Naſſaviæ Domus,
Quam Auguſtam fecerat Adolphus,
Tu feciſti Immortalem;
Tu cujus fama virtute collecta
Quas non abiit in terras?
En Muſcovitarum Imperator
Relicto Solio, aliorum fidei ſe credit,
Cupidus ſcilicet videndi GULIELMUM,
Cui tantum debet Orbis Chriſtianus,
Necnon diſcendi ſub eo Artem bellicam,
Dignus, ſi quis alius, diſcipulus tali Magiſtro.
Salve Heroum honos, Hagæ decus,
Tu certe Providus audis merito tuo,
Qui perſpicax reſcîſti vafrum cor Ludovici;
Tu primus omnium ſuſcitabas
Europam infeliciter ſopitam
Abſque Te fuiſſet.
Te ſuum Tutelarem intuetur Orbis.
Aliorum conſilia doctus recludere
Ita interim celas tua,
Agnoſcimus Stirpem GULIELMI Taciturni.
Floreat, in æternum floreat Gens Naſſavia,
Gens nunquam non Tyrannis inimica;
Floreat Germaniæ honos, Orbis amor.
Mauritius Hiſpaniæ ferocientis robur infregit,
GULIELMUS Galliæ,
Fortunati ambo.
Conſtat Naſſavium noſtrum
Mundo divinitus dari,
Oppreſſis ut ſuccurreret
Monſtra ut ſubigeret
Alter velut Hercules.
Pergas magne Heros favere Orbi;
Cum odio pluſquam Junonio
Hic quoque feliciter conflictatus eſt,
Alter velut Hercules:
Ipſis quaſi in cunis angues,

Pejores Alcide tuis,
Perfidiam & irruentem Tyrannidem
Caſtigavit, repreſſit,
Alter velut Hercules,
Sic ſe Naſſavium probat.
Hic mille adiit pericula,
Quippe qui Saluti publicæ ſemper poſthabuit ſuam;
At quanquam ille nulla veritus ſit pericula,
Ipſa tamen viſa ſunt pericula
Vereri charum nobis & Deo caput:
Hic mille exantlavit labores,
Alter velut Hercules.
Idem miro quodam Artificio
In perniciem ſuam deſtinata,
Gloriæ ut ſubſerviant, facit,
Alter velut Hercules.
Nihil eſt tam difficile
Id virtus quin ſuperet ſua,
Nam, quo magis arduis premitur,
Eo opprimitur minus,
Alter velut Hercules.
Idem ruenti orbi Britannico
Admovit humeros potentes,
Alter velut Hercules.
Æqua lance regna Moderatur,
Libertatis Europæ ſtrenuus Aſſertor,
Legum Anglicarum fidiſſimus Cuſtos,
Nemo aut Clementior in ſuos,
Aut in hoſtes Fortior.
Vidit Ludovicus id eum eſſe in fœderato corpore,
Quod eſt in naturali anima,
Aut quod in Mundo Deus.
Metuit Naſſavii & dextram, & Caput,
Dextram ad Arma ſtrenuam,
Conſiliorum ferax Caput:
Laudamus, Ludovice, conſilia tua,
Qui eum tibi inimicum noluiſti,
Quem expertus es Invictum;
Hac una arte profuiſti tibi:
O ter quaterque felix Britannia,
Sub optimi Regis Auſpiciis
Tuto exercebis commercia,

Diteſces plus ſatis.
Speres præ cæteris Privilegia,
Qua patet Terrarum orbis,
Id eſt qua pervenit fama GULIELMI;
Nil nunc ſupereſt votis,
Niſi ut GULIELMUS tuus
Serus in cœlum redeat,
Et ut tu tanto felicitatis oneri
Par ſis ferendo.
Salve Rex bello & pace Maxime,
Te Dominum ſuum Britannia
Agnoſcit, amat, veneratur;
Te Dominum ſuum non ſola Britannia
Agnoſcit, amat, veneratur.
Te, deſideratum jam nimium diu,
Ardentiſſimis votis repoſcit.
Felix Dies! quæ te Orbi dedit, jamque nobis reddit;
O prædicanda poſteris ſeclis Dies,
Amica omnibus, ſed tuis potiſſimum Britannis:
Hæc choreis ſumenda eſt Dies,
Hæc rutilis celebranda flammis.
Felix Europa! quæ te tanto geſtiet Arbitro;
Beata Regna! quibus præſidebis,
Præſidebis diu, nunquam non charus Orbi,
Orbi quem ſtabili beaſti, & beabis Pace.
Fallor? an hæc indicas, Phœbe Pater,
Sagax futuri? quæ tu fervido
Suggeris vati, rata ſint precamur.

Ja. Allgood, A. M. *Coll. D. Joh. Evang.* Soc.

ALma diu *Mater* luctantia verba repreſſit,
Suſpendens tacitas muta dolore lyras.
Ipſe *Camus* Muſis & Apolline fertilis olim,
Sollicito ſteriles murmure fudit aquas.
Nempe *Maria fuit*; ſecum tulit illa camænas,
Æmula cognatos dum petit alta deos.
Sed *Cæſar* tacitis inſtillans carmina linguis,
Nunc jubet ad ſolitos verba referre modos.
O plus quam Victor ſalve, dum gloria duplex
Germinat, & ramis pullulat aucta novis.

Ne

Ne contemne leves nugas, quas Muſa miniſtrat,
Digna tuis meritis carmina velle ſat eſt.
Cæſar eras cum te Galli ſenſere tonantem,
Nunc proprio Angliacis munere *Divus* eris.
Addita Pax factis potuit quæ ſola; vetuſtas
Atque inter *Lauros* ſerpit *Oliva* recens.
Bella ſagoque foroque tulit ſic Julius olim,
Marte fuit magnus, magnus & ille Toga.
Auguſtus ſimul ac poſitis toga geſtiit armis,
Tum cæpit patriæ nomen habere Patris.
Cum bella inſidias ultro poſuere doloſas,
Inſidias ponas & Catilina tuas.
Vive diu, *Cæſar*, Britonum ne gaudia Genti
Mors tua plura adimat, quam tua vita tulit.

Symon Patrick, Coll. *Regin.* Commenſal. Rev. in Chr. Patr. *Ep. Elienſ.* Filius.

OTia cum tua det nobis muſiſque Minerva,
Accipe Primitias quas Tibi noſtra refert.
Carminibus vatem præbes, & carmina vati,
Sunt tamen in laudes non ſatis ulla Tuas.
Egregium virtutis opus componere Terras,
Et dare fræna Malis, præſidiumque Bonis.
Maximus à Bellis, ſed major Pace futurus,
Omnibus exſuperas omnia, parque Tibi es.
Quin tua ſi celebret, ſiquis ſublimior æquis
Facta modis, vati vix minor eſſet Honos.
Dicere cum nequeam, ſatis eſt quod ſentio tantum
Munera, quod pariter Te potiore fruor.
Tanta dedit rediens Auguſtus gaudia Romæ,
Soſpite quo tutos credidit eſſe deos;
Tu tamen Auguſto es tantum, Rex maxime, major,
Cedit quantum Anglis Roma ſecunda Tuis:
Tum ſua Virgilius, tum Flaccus Principe tanto
Carmina digna dedit, præmia digna tulit;
Tum quoque Mœcenas, Muſis cum laude Patronus,
Muſa vel in laudes Cæſaris ipſe fuit:
Jam quamquam Auguſti exſuperas, GULIELME, triumphos,
Et ſteterint gladio Cæſaris arma Tuo:
Nec Mœcenates, nec erunt Tibi, credo, Marones,
Nam tua dum ſtupeant facta, ſtupendo ſilent;

GRATULATIO

Quod ſiquis referat Te talem carmine digno,
O quali dignum munere carmen erit?

Carolus Firebrace, Trin. Coll. Commenſal.

CUM malè reſpondet Gallorum Belgia cæptis,
Et duce Naſſovio cecidere ſuperba Namurci
Mœnia, victori ceciditque ſuperbia Gallo;
Spes fractæ, ſolituſque animis defervuit ardor.
Hos belli caſus Lodoïx ſub nocte revolvens,
Cura animoque vigil, ſeræ dat membra quieti;
Succeſſus belli primos, clademque recentem
Dum ſecum expendit; bellum pacemne capeſſat;
Fluctuat incertus: diviſo huic inter utrumque
Viſus adeſſe loci genius, cui Gallia curæ
Imperii Regiſque ſalus; & talia fari.
Sat bellis armiſque datum eſt: Europa domari
Armis ſi poſſet, Gallorum victa fuiſſet.
At licet Europam haud ſuperes, ſatis ampla ſuperſunt
Regna; (hæc parva tamen ſi Te metiris in illis)
Imperium Oceanus prope terminat alter & alter.
At fines ſuperare datos, tibi fata negarunt:
Cernis ut Oceanum & mortalibus invia ſaxa
Objecit natura; invictaque pectora Regis
Naſſovii, contra Gallorum ingentia cœpta
Oppoſuit Deus. Hunc Regem præſaga malorum
Mens timet exitium Gallis regnoque futurum:
Unius namque auſpiciis Victoria Gallûm
Hæſit, & in multos, vereor, ſe differet annos.
Hæret adhuc animo clades funeſta Namurci,
Utque agmen Britonum ſtravit quaſi fulmine muros.
Ex illo ruere, & retro ſublapſa referri
Spes Gallûm; contraque hoſti increbreſcere vires.
His ergo adductus, nova non arceſſere bella
Suadeo, at inceptum placidè componere bellum;
Non alios populos, alios non addere fines
Imperio, ſed parta armis in pace tueri.
His Rex firmatus monitis, miſeranſque labores
Exhauſtæ Gentis longi per tædia belli;
Pacem molitur ſecum, meditatur & optat.
Ultima facta, vide, quam ſunt contraria primis;
Bella prius, ſtrages, quæcunque horrenda minatus,

Torrenti

Torrenti ſimilis viſus primo impete ferri,
Europæque jugum minitari & vincula victor:
Nunc claudi regnis, & ſupplex poſcere pacem
Cogitur: (heu miſeram cum proſtas Gallia ſupplex.)
Et pacem, cum non datur exorare petendo,
Reddendis venalem opibus terriſque, coactus
Mercatur: moturus uti cornicula riſum,
Tandem furtivas juſſus deponere plumas.

Geor. Firebrace, Trin. Coll. Commenſ.

ERgo iterum obſeſſis nocturno horrore Britannis,
Et nubibus, quæ languidum
Deſtinuere diem,
Offundet lucem Facies jucunda quietis?
Rurſuſne demiſſum eriget
Anglia mœſta caput?
In magnis ut ſurda Fides! quod nemo Deorum
Promiſerit, nuperrime
Præſtitit intrepidus
Sanguine mortali (ſi fas eſt credere) natus.
Et priſtina en Felicitas
Affluit Angligenis!
Quin igitur luctumque atrum, gelidumque Timorem
Cum Marte pellentes truce
Trans mare velivolum
Mittamus. Curæ hinc mordaces ite, volate,
Martem exutantem quærite:
Nos regit alma Quies.
Hic molleſque voluptates, & gaudia in horas
Repullulent, & per domos
Arvaque noſtra volent.
Nam venit ecce! venit pulchra ſtipata caterva
Pax læta: adornatum virens
Cingit Oliva caput.
Non adeo formoſa ſuis circundata Nymphis,
Molles choreas inſtruit
Diva potens nemorum.
Hic Cytherea volat niveis invecta columbis,
Et cingulo ſpectabilis;
Hic Charites ſociæ:
Nec procul hinc Arcuque novo, teliſque ſuperbus

GRATULATIO

(Victoriarum præscius)
Plausitat ales Amor.
Illic flava Ceres, Thyrsoque insignis Iacchus,
Plenoque cornu Copia,
Læta cohors sequitur.
Adsunt & Musæ molles, & lœvis Apollo;
Apollo pulsat Barbiton,
Pierideſque canunt.
Cives exultate, alteque insurgite plantis:
Vos æthera O! clamoribus
Rumpite Ruricolæ.
Semina securos almis nunc credere sulcis,
Sperare fas & fœnora,
Incolumes Dominos.
Vili vendentur vomer, ligo, rastra; refictis
Thorace, ferro, cassîde
In facies alias.
Nunc hinc inde patent Commercia; per freta tuta
Impune lætus Navita
Findit iter liquidum.
Miles enim natale Solum, patrioſque Penates
Revisit ardens, & pari
Lætitia excipitur.
Conjugis hic Uxor gratis amplexibus hæret;
Natoque Mater sospite
Exanimata cadit.
Illic exigui pueri, teneræque Puellæ
Ab ore patris penduli
Bella bibunt avidi.
Exultant omnes WILLHELMO sospite: in Illo
Quis non Parentem, Conjugem,
Et Sobolem reperit?
Anglia certe omnes! Salve, Rex Maxime; salve
Cœleste propugnaculum, &
Grande decus Britonûm.
WILLHELMUM Egregium! Nunquam tua facta maligni
Obliterabit temporis
Invidiosa manus,
Dummodo tanget amor mortalia pectora Pacis,
Et turbido Securitas
Gratior alma metu.

Rob. Owen Coll. *Regal.* Alumn.

Qualis

QUalis in Oceano medio ſitus eminet Iſthmus,
Unio diſtantis terræ; ſed & arduus Undæ
Hinc, illinc, luctantis Obex, Frænumque Fluenti:
Scilicet hic medians cohibet circumflua Bella,
Et bimares Iras, Freta nec ſinit aſpera turmas
Cæruleas conferre, aqueaſve coire Catervas;
Fracta ſed oppoſitæ ſuccumbunt Æquora Moli,
Et lambunt utrumque latus, confeſſa Canalis
Priſtina jura ſui, mediæque Arbitria Terræ:
Sic Orbis GULIELMUS Amor; ſtat & Arbiter Idem
Occiduos inter Motus, quos bina Poteſtas
Una ſed Ambitio fovet; hinc vetus Auſtria Rivos
Fraternos miſcet, Rhenum confundit Ibero;
Concitat inde ſuos haud impar Gallia Fluctus
Diluvium commune minans, & neſcia Ripæ
Decurſu felice tumens: ſi latior Illa
Altior & ſonitu, fluit Hæc tamen Impete major,
Progreſſu rapidas volvitque rotundius Undas.
Ecce pares Acies in Belgica littora fuſas,
Ferventes turmas, & ubique fluentia Caſtra!
Quantus in agminibus furit Æſtus! ut æmulus Ardor
Subſidit, ſurgitque animis, motuſque marinæ
Alternos imitatur Aquæ! jam ſpargere ſpumas
Cerne Globos Equitum, Pedites jam flectere Gyros,
Milleque Mæandros Formis ſimulare Cohortûm;
Arma diu coitura putes, promiſcua Bella,
Commiſſas Acies, ſignis collataque ſigna,
Agminaque agminibus, noſter niſi ſeparet Heros,
Solus ſtare auſus, geminum & ſufferre furorem:
Hic firmus velut Agger, utraſque recedere Partes
Urget, & antiquos ſubducere ſemet in Alvêos,
Et proprio regnare vado: ſatis eſſe Tyrannis
Imperio fluitare ſuo, nec volvier ultra:
Illico Regna duo, tanti quaſi conſcia Valli,
Ingratos Æſtus, inimicaque murmura ponunt,
Naſſaviique pedes circundant ſupplice flexu.

N. Hough, A. B. *Coll. Jeſu.*

O Rex, Imperii ſtator invictiſſime noſtri,
Jam Pax, & Bellum, toto contraria cœlo,

 Quam

Quam bene conveniunt, ambo ut Te laudibus ornent!
Sors tua jure ſuo redivivum poſcit Homerum,
Dum certant Gentes (tamen eſt diſcordia concors)
Quæ Te prima habuit, quæ Te poſtrema fruetur;
Anglia grata ſuum Te vendicat, ireque ad arma
Vix patitur; Batavi vix longo à Marte redire.
Principẽ Muſarum Tu Rex inſignior; Urbes
Mœonidem ſeptem, totus Te poſtulat Orbis.

Gul. Duncombe, Aul. Clar.

PUlſa diu, tandem plaudentibus advolat alis
Et Pax, & placidæ Pacis Alumna Quies.
Læta parens natos, reducemque puella maritum
Excipit, & gratas tendit ad aſtra manus.
Atque aliquis, conjux dum pendet ab ore loquentis,
Enarrat, quorum pars fuit ipſe, mala.
Quos tu victa dabas, memorat, Juverna, labores,
Præſentique refert acta peric'la metu:
Nec ſilet, attonitus quæ vidit prælia *Boinus*
In mare purpureo turgidus amne fluens;
Quantus Biſtoniis rapitur Gradivus in oris,
Urgens præcipites ſanguinolentus equos;
Talis erat, tantuſque ruit GULIELMUS in arma,
Inſtantis Gallus non tulit ora Viri;
Et, niſi mortalis patuiſſet vulneris ictu,
Crediderant aliquo Numine terga premi.
Flandrica mox narrat, pugnataque prælia tecum,
Galle, & quam pugnæ te dare lentus eras.
Narrat inacceſſo ut nutet terrore Namurca,
Ut ſtet Naſſoviâ vix ſuperanda manu;
Non par Troja fuit, licet ardua mœnia jactet,
Atque haud unius ſtructa labore Dei.
En! quo Cutteſium rapit in diſcrimina Virtus
Neſcia degenerem retro tuliſſe pedem!
En quo Britannæ chariſſima pignora gentis
Ipſa in fata ruunt! prodiga turba ſui!
Vix tanti Lodoix, & Gallia tota fuiſſet,
Quæque dedit victas capta Namurca manus.
Quæ nemora, aut qui te tenuerunt, Cynthie, colles,
Cum tuus occubuit vulnere Cutteſius?

Sed

Sed ſatis eſt, veniamque potes meruiſſe, quod ultro
Pæoniam tuleris officioſus opem.
Quod reducem Marti, & nobis, Muſiſque dediſti,
Ornatum laurûs duplice fronde caput.
Hæc, & plura aliquis: conjux immobilis hæret,
Fabula cui decies mox repetita placet.
Ah utinam, GULIELME, Tibi, cui prælia narres,
Quæque paret Reduci ſerta, *Maria* foret?
Deciderant animi ſimul eſſet facta *Mariæ*
Mentio, & obticuit muta dolore chelys;
Cum mihi, fatidico, venturi callidus augur,
Hæc quæ ſolentur, Delius ore dedit,
Invida quos dempſit de ſtamine Parca *Mariæ*,
Adjicient Regi fata benigna dies.
Et quanto citius terras Regina reliquit,
Tanto WILHELMUS ſerius aſtra petet.

H. Bland, Coll. Regal. *Alumn.*

GRatulor, Alme Pater, tandem te linquere caſtra,
Nec tota abſumi tempora Marte gravi.
Te voluere ſuum jam primo in flore juventæ,
Ereptum tibi te, Belgica caſtra ducem.
Subvenit afflictis Anglis provectior ætas:
Tempora ſic aliis das, GULIELME, tua.
Utere jam lætus, tanto quæ parta labore,
Et tot bellorum præmia Victor habes:
Utere Pace tuâ. Sic Te velit Anglia vitâ,
Quam rapuere tibi bella, priore frui.

Hugo Boſcawen, Coll. Regal. *Commenſ. ad Menſam Soc.*

CArpite jam flores, pueri, nova lilia pleno
Ferte ſinu Nymphæ, & ramos frondentis Olivæ,
Et vos, ô lauri, carpamini, &, ô, tua myrtus,
Diva Venus; victricia enim jam ſerta paramus
Heroi ingenti (digno, Dea, te quoque matre)
WILHELMO Magno! qui, tædia ferre volebat
Martis, amans hominum, ſublimis & otia vitæ,
(Mirandum!) noſtra pro libertate, paciſci:
Heroi Auriaco, cujus virtute vocata
Aurea Pax Britonum eſt dignata reviſere terras,

Aurea Pax ipsâ vitali charior aura.
Jamque adeo, procul hinc Bellonæ atrocibus armis
Mollia ſecuræ celebramus gaudia vitæ.
Non raucus lituûm ſtrepitus, non Martius horror
Amplius invadunt aures, non ſanguine campi
Natorum fuſi majori funere matres
Perfundunt pavidas: ſed ſuave atque omnia læte
Jam ſplendentque reſonant; tubæ, placideque canentes
Campanæ exhilarant cœlum, clamore reſultant
Feſtivo colles, rident volucreſque feræque,
Plauſibus atque alacres pandunt ſtrepitantibus alas
Halcyones, agitantque choros per cærula Nymphæ.
Non ſua jam parcâ tribuet Pomona ſiniſtrâ
Munera, (præteritis veluti male ſenſimus annis)
Sed blandi, & gravidi, & locupletes frugibus anni
Excipient, rumpentque amplæ nimis horrea meſſes,
Ruraque complebit peramœno copia cornu.
Nam ſua nunc rediit campis cultura, ſuoque
Relligio atque Artes ſolito potiuntur honore;
Atque (Tuis, ô Rex GULIELME, laboribus amplis
Aſpirante Deo,) rebus caligine fuſis
Nunc iterum affulget claruſque & amabilis ordo:
Omniaque in veterem redeunt revoluta tenorem.
Hinc omnes alacris ſylvas, urbeſque voluptas,
Tam juveneſque, ſeneſque tenet, teneraſque puellas;
Hinc magni læta accelerant exordia menſes,
Cunctaque venturo exultant animalia ſæc'lo.
Quænam igitur tibi pro tanto dabo munere, Cæſar,
Officii pia dona? vices perſolvere juſtas
Exſuperat vires noſtras, & quicquid ubique eſt
Angliacæ gentis, totum quæ nota per orbem:
Solaque, quæ ſpectant Animas, pia Numina cœli,
Præſtantes, meritis poterint æqualia tantis
Præmia ferre: tamen, quod poſſumus, accipe blandus.
Ergo Tuam, ſalvi, ob charam egregiamque Salutem,
Jugiter ad Superos ardentia vota feremus.
Atque fera impietas prius, O Digniſſime Princeps,
Nomine mutato nomen Pietatis habebit;
Atque fide Pæni bene noti, ac fraude Britanni;
Quam tua de noſtro labetur pectore Virtus.
Nominis & Britonum remanet dum Gloria Gentis,
Semper Honos, Nomenque Tuum, Laudeſque manebunt.

Tu

Tu modo perpetua hæc nobis tua munera præſtes,
Regem pro populo vigilem, Populumque quietum,
O qui ſumma viris donas, donataque eodem
Confirmas, Nutu! atque iterum, facito Ipſe benignus,
Compoſitæ ut Gentes ſtabili jam Pace fruantur;
Sera nec ulla dies ſanctiſſima Fœdera ſolvat.
Nec dubium, quin firma Deus, rataque eſſe jubebit
Hæc mea vota, modò per crimina noſtra licebit,
Noſque bono Pacem meritos præſtabimus uſu.

Edm. Brome A. M. *Coll. D. Joh. Evang.* Socius.

QUalis remota lætus ab Indiâ
Bacchus redivit, tempora pampinis
Cinctus, triumphaleſque ſummo
Quadrupedes agitans Niphatis:
Quando feroces Tigrides aureos
Traxere currus, & ſpoliis plagæ
Onuſtus Eoæ, ſuperbis
Impoſuit Ducibus catenas:
Talis, Britannûm Rex, Populo advenis
Veſtro, per Orbem præpetibus vagi
Rumoris alis elevatus,
Perpetuoque micans honore.
Non quod Triumphum condecorant Tuum
Exciſa multo ſanguine mœnia;
Sed Fauſtitas & Pax, futuris
Fœderaque haud peritura ſec'lis.
Potentis hæc ſunt Exuviæ manûs,
Hæc ſunt Laborum debita Præmia,
Opima nec tanti Quirinus
Dona Jovi dedit Imperator.
Nunc Muſa dicat clara Britannici
Herois acta, ut late hominum globos
Mucrone ſtricto diſſipavit,
Compoſitaſque Acies refregit.
Quacunque diri lux Clypei rubet,
Fulgetque criſtatum Galeæ jubar,
Et arma Monſtrorum figuris
Terrificis animata quaſſat:
Eheu! malorum quanta viris adeſt
Procella, ſolus fulmine Nominis

Naſſavii armatus, furentes
Hoſtium agit ſine lege Turmas.
Paſſim cruentis ſtragibus horridi
Fœdantur Agri, ſanguine Flumina
Tetro erubeſcunt, & ubique
Pandit ovans ſua ſigna Terror.
Quaquà citato carpit iter pede,
Adſunt ſodales triſtifici, Fuga,
Tremor, Pavorque ac ipſa Teli
Cuſpide Mors equitans acutâ.
Torrentis inſtar disjicit omnia
Obſtac'la, ferro dura repagula
Perrumpit, ac unam ruinam
Militibus, Ducibuſque portat.
Ah! jam ſatis Regno & Patriæ datum eſt,
Brevi reſidat Bellicus impetus,
Pauliſper horrendi remitte
Martis opus, rigidumque Bellum.
Quid Arma, quid non firma Britannicæ
Virtus Juventæ poſſit, & Entheus
Pugnæ ardor accenſus, Monarchæ
Auſpiciis proprii ſecundis,
Europa tandem libera Galliæ
Vinc'lis minacis ſenſit, & undique
Agnoſcit Orbis, reſtitutis
Juſtitiâ, Requie, Fideque.
Olim Tyrannos ambitio tumens,
Vel vana ſævæ Laudis adorea,
Ciere vicinis adegit
Prælia ſanguinolenta Regnis.
Soli reperti Naſſavii Duces,
Quos rupta Bello fœdera Gentium,
Quos grata Libertas, ſacræque
Relligionis honos obarment.
Sic, ſic Olympi vertice Jupiter
Rubente nunquam fulmine dexteram
Armare fertur, nî laceſſunt
Crimina non aliter luenda.

Phil. Packer, Coll. Trin. *Commenſal.*

Plora-

PLorarunt quoties tua Regna Britanna, quotannis
Æſtivos tarde currere ſolis equos,
Dum Te, Magne Heros, in aperto Flandria campo
Detinet, auſpiciis Flandria freta Tuis?
Nos tamen interea ad Superos tua Caſtra ſequentes
Pro Te ſollicitas fudimus uſque preces,
Ut tandem ſpoliis, & Martis honore decorum,
Orba ſuum acciperent Sceptra Britanna Jovem.
Reddita jam tandem Præſentia ſplendida, votis
Reſpondit noſtris, ut Tua dextra Tuis!
Non poſthac miſeris inſultans Gallia damnis,
Fortunam in domito provocet Oceano;
Anglica dum Ponto late volitantia Vela,
In flammâ & fumo ſic didicere loqui,
Maturate fugam, Regique hæc dicite veſtro
(Ex undis ſiquis forte ſuperſtes erit)
Non illi imperium Pelagi; nec verius unquam
Fatidico cecinit Delphicus ore Deus;
Nam, Lodoïce, tuam ſubmerſam gurgite Claſſem,
Nuncius haud ſoſpes, qui tibi narret, erat.
Hæc Te mœrentem docuit tot funera clades,
Victores veteres, Galle, timere tuos.
Nec, GULIELME, magis famâ es ſuper æquora notus,
Te tua campeſtris Gloria tollit humo.
Ecce! vocat Muſam belli altera, Flandria, moles,
Flandria militiæ lauſque, locuſque Tuæ.
Hîc abſolviſti ſuſcepta negotia Martis,
Quà primum explicuit ſe juvenile Decus.
Huc validæ coïere manus Regumque Ducumque,
Quos idem Patriæ, fœdere junxit, amor.
Campo incedentem Socii amplectuntur in armis
Te primum Herôum, Palladiumque ſuum.
Certatum hic longi eſt collecto robore Belli,
Et clauſere annos Oppida capta novem;
Tandem indignantem Tua virtus compulit Hoſtem,
Cederet Europæ, conſuleretque ſibi.
Protinus ecce! Urbes & munimenta reſignat,
Fœdus ut oratum debilis Ipſe colat.
Sic talem placuit Pacem impoſuiſſe Tyranno,
Quam violare nequit Te faciente ratam.
Quantos! quam claros, GULIELME, agis inde Triumphos!
Quam requiem Mundo! quam placidoſque dies!

GRATULATIO

Te canit ex avidis abreptus faucibus Orbis,
Rapta dolo, & Dominis, Te, data Regna suis.
Ipsa Tibi grates persolvit Gallia, durum
Quæ positura jugum, dulce coacta pati est.

Ja. Brabourn, A.M. *Trin.* Coll. Soc.

ECce iterum plusquam Victor nova Carmina nobis
Sufficit, evinctus placida GULIELMUS Oliva,
Cœlicolasque iterum vocat ad sua pensa Sorores,
Et Marti, & Musis dudum notissimus Heros.
Dicite Victorem, fecit bonus otia Musis,
Dicite Io Pæan, lauroque innectite serta.
Clauduntur belli portæ lucemque relinquens
Cedit in antra furor, dudum manibusque catenas
Accipit invitus, pedibusque immania vincla,
Sanguine fœdus adhuc: nobisque optantibus almæ
Pacis, sic voluit GULIELMUS, Fœdera liquit.
Dicite Io Pæan, lauroque innectite serta.
Heu quali, quantoque agitata Britannia bello!
At non indecori ceciderunt vulnere nati,
Corpora per campos neque enim sternuntur inulta:
Heu quanto optarunt emptum, vix morte gravatos
Tollentes oculos, conati extendere vitam
Adversi Proceres, non sic cecidisse Britannos!
At non accepit Leges, & Fœdera iniqua,
Nec supplex hosti frustra prætendit Olivas,
Ipsa dedit Pacem, misitque in fœdera Gentes.
Dicite Io Pæan, lauroque innectite serta.
Concute fræna manu, & rabidos compesce leones
Dia Parens, feriat nec Gallica littora clamor
Ingratus, satis ô desertos vidimus Agros
Hostiles, terror vacua regione rudentum
Regnavit, liceat veteres remeare colonos
Ipsi orant, ultro posuere ferocia corda.
Dicite Io Pæan, lauroque innectite serta.
Came Pater, properos volvas ad littora fluctus,
(Camus Musarum cætu gratissimus amnis
Oceanoque patri) jam non te turbida Martis
Terrebit facies, neque enim perterritus Undas
Ad fontem referes sanie taboque cruentas.
Haud usquam attonitus Ponto longa agmina cernes

Gallo-

Gallorum, verſis properantia cedere velis,
Navibus includi ſeſe indignantia tardis.
Dicite Io Pæan, lauroque innectite ſerta.
Ad dominos veteres rurſus fugitiva redibunt
Arma, diuque fero famulantia ſpicula Marti
Vomeris accipient faciem, formamque priorem.
Atque imis ſolitus bellum ſpirare medullis,
Corporaque Heroum calcare expertia vita,
Rurſus aratra trahet, ſonipes animoſus in agris.
Dicite, Io Pæan, lauroque innectite ſerta.
Quæ ſpolia accipiet, multis auguſta Triumphis
Winſoriæ præclara Domus, ſemperque virenti
Inſignis Lauro? quanta aut tua pectora, Geôrgi,
Gaudia tentabunt, cum ex longo inviſa Trophæa
Aurata aſpicies? rurſum inſtauraſſe Triumphos
Edvardum, aut multum dilecti Principis arma
Sanguine Creſſiaco rediiſſe inſignia credes.
Dicite Io Pæan, lauroque innectite ſerta.
Inde aliquis forſan, per ſæcula ſera Nepotum
Singula dum luſtrat, fixiſque uſurpat ocellis,
Uxorem, ſi forte adſtet, natumve monebit,
"Nate vides, multo vel adhuc fœdata cruore
"Spicula, vix valeant ut nunc ſunt corpora, bini
"Tollere humo; qualis, prô quanti eſt ponderis Haſta!
"His armis Campo trepidantia Cutar agebat
"Agmina Gallorum, tergiſque hæc ſpicula fixit.
"Ante omnes, Cutar GULIELMO fidus in armis,
"Inſtruere aut Acies, jubeatve aſcendere Muros.
"Muſis ante omnes Cutar gratiſſimus Heros.
Dicite Io Pæan, lauroque innectite ſerta.
At quis Te cœlo, patrioque reponet Olympo,
Et ſeros, GULIELME, dabit regnare per annos?
Me fidentem animo, & conantem talia Phœbus
Averſus riſit, vetuit tentare Camænas
Nequicquam, & ſolito juſſit ſervire labori.
At vos, felices animæ, queîs talia Phœbus
Poſſe dedit, dias in Carmina ducite Muſas.
Dicite Victorem, fecit bonus otia Muſis.
Dicite Io Pæan, lauroque innectite ſerta.

T. Sherlock Aul. *Cath.* Alum.

GRATULATIO

JUlius ante omnes dextris inclaruit armis;
Floruit, Auguſto Principe, Pacis honos:
In te convenêre uno par nobile Divûm;
Julii & Auguſti pondus & inſtar habes:
Ille ſuas lauros Tibi ſubſtruit, alter Olivas;
Et Tua Romani fœdera, & arma colunt:
Te bella Heroûm numero laurique reponant;
Arma Virum, ſed Pax aurea faſſa Deum eſt.

Tho. Jones, Coll. Trin. *Alumn.*

PAX venit optata, & quanquam jam ſera recurrat,
Haud tamen hac nobis gratior ulla fuit;
Quos modo ſecuros Rerum, Famæque peregit,
Et ſuperari Hoſtes, vel ſine cæde dedit:
Si ſuperari Illos dicas, quorum æmula Virtus,
Vincere cum nequeat, cedere ſponte cupit.
Quid potuit fieri majus, meliuſve? Triumphis
Altera ab alterius Gens ubi gaudet ovans?
Commendat ſtabilita Orbis Reſpublica *Pacem*,
Sed Dextra unius Pax ea parta, *Ducem*,
Cujus ob auſpicium totam ſe debuit Anglis
Europa, & cedit Gallia Marte minor.
O nos felices queis, ſalvo Cæſare, conſtat
Gloria ſumma foris, Otia honeſta domi.
Has, GULIELME, Tibi, Populorum ô unice Vindex,
Debemus Laudes has Tibi, Teque Deis.
Ingredere, & Pacis ſecurus, maximus armis,
Concedas Populo Te propiore frui.
Sceptris digne datis, majus cape munus Amoris,
Omnibus hoc Lauris non Ludovicus emet.
Ingredere, & potiore caput redimitus Oliva,
Jura feras Terris, geſta fidemque Polis.
Arbitrio ſtant cuncta Tuo, Teque Inſula Regem
Jactat noſtra ſibi, Regna ſed Orbis erit.

Edmundus Bacon, filius natu Maximus Domini *Roberti Bacon* de *Redgrave*, in Agro *Suffolcienſi* Baronetti, *Aul. Pemb.* Com.

HUC age, qui ſuperos ſecura Pace fruentes
Credis, & incerto ferri mortalia casu,
Immanes Lodoici auſus, rerumque ſequutos

Even-

Eventus perpende, Deoſque agnoſce faventes.
Ille, velut torrens ruptis qui molibus exit,
Præcipiteſque trahens rauco ſylvaſque domoſque
Murmure, vix tandem noto ſe reddidit alvêo;
Non ſecus hoſtili ferro graſſatus & igni,
Civibus oppida vaſtavit, cultoribus agros,
Non ſecus oppreſſas invitus deſerit urbes.
Demens, qui bellis iterum vexaret iniquis
Europam, ſummaſque iterum captaret habenas
Imperii, GULIELMUS adhuc dum viveret; Ille,
Ille, etiam Batavo, quid poſſet milite cinctus,
Gallia non una perſenſit clade, rubentes
Utrecæ teſtor Gallorum ſanguine campos,
Quum Batavûm adverſo ſpes Marte infracta jaceret
Omnis, & Auriacum ſeſe inclinaret in unum:
Teſtor & Hunc, vallis qui ſeptus & aggere multo
Expugnata tamen fugiens ſua caſtra reliquit,
Vix bene compoſitæ ſervatus munere Pacis.
Et quæ jam, Ludoice, animo fiducia venit,
Hoc Duce, ut Angliacam ſperares ſubdere gentem?
Scilicet imbellis tibi viſa eſt Anglia? noſtri
Hos certe tibi nunquam animos fecere parentes;
Hos nunquam Henricus, quem pauco milite muros
Quaſſantem, pavida accepit Lutetia Regem.
Quid memorem Edvardos? Nuper quoque capta Namurci
Mœnia, naturaque ſimul præſtantis & arte,
Vidit & obſtupuit Gallorum exercitus ingens.
Ergone jam ſentis, quid bello poſſit & armis
Vis Britonum, jam Pacem oras, Ludoice, tuæque
Huc tandem evaſere minæ? videt Anglia vires
Exhauſtas, eluſa videt conamina belli
Ultima, ſed Pacem indulget tamen æqua petenti:
Quippe ſatis charo aſpectu divulſa WILHELMI
Indoluit, votiſque ſatis precibuſque vocavit
Abſentem, & fortes ducentem in bella Britannos;
Hunc amat, hunc optat, cupit hunc in regna reverti
Incolumem; quod cum precibus jam fata benigna
Illius indulſere, Deos unum amplius orat,
Ut pacata diu populo det jura volenti;
Ultra nil erit in votis, neque longa pigebit
Bella, nec infandos olim ſubiiſſe labores.

Car. Roberts, Coll. Regal. *Alumn.*

LÆtus ut expectat puppes mercator onuſtas,
Conjugis & reditum fœmina caſta ſui,
Ruſticus ut gravidas exoptat feſſus ariſtas,
Ut pompam & titulos ambitioſus amat,
Pacem ut quiſquis amat: ſic Te nos poſcimus omnes
Voce GULELME una, Te ſine nulla ſalus:
Te redeunte domum, redeunt hæc omnia nobis,
Pax, Honor, & ſponſæ gaudia, meſſis, opes.

Johannes Layer, Aul. Trin. *Alumn.*

JAM minæ ſævi cecidere belli,
Gallia & turmas revocare cœpit,
Docta, quid noſter potuit potentem
Cæſar in Hoſtem.
Ille Gallorum timor, ille magnæ
Cæſar Europæ moderator, Anglos
Mox triumphalem comitante claſſem
Pace reviſet.
Impleat ventis placidus ſecundis
Vela Neptunus, moderetur undis,
Gloriæ ducat ſibi GULIELMUM
Reddere ſalvum.
Pacis Authori tibi gratulatur
Civis adventum, tibi vulgus annos
Optat æternos, reſonatque totus
Plauſibus æther.
Ipſe nos privat radiis Apollo,
Et peregrinis fit amicus oris,
Ut tibi myrrham, tibi dona ſuccos
Stillet odoros.
Jam per herboſos equus errat agros,
Nec tubæ terrent ſtrepitus ſonoræ,
Geſtiunt prâtis vituli, renident
Mollia prata.
Supplici myrtus tibi ſervit umbra,
Serviunt lauri, tibi celſa longe
Quercus aſſurgit, tremuloque pinus
Vertice nutat.
Muſa quo tendis maleſana? parvis
Magna ne pergas tenuare, Rege

Suffi-

Sufficit tanto voluiſſe dignas
Dicere laudes.

Iſaacus Bigot, Aul. Clar. *Alumnus.*

Carmen Paſtorale. *Alexis.*
Perſonæ, *Melibæus*, *& Tityrus.*

Mel. TItyre, quid viridi tecum modularis in umbra,
Dum procul aëria pendent de rupe capellæ?
An Lycidæ cantas laudes, an Phyllidis ignes?
An potius triſtes dilectæ Amaryllidis iras?
Tit. Nil horum: aſt aliquid majus meditamur avena:
Paſtorem canimus, pulchrum celebramus Alexim,
Delicias ruris, Paſtorem, qui tenet uſque
Omne ſolum, qua ſe vaſtæ ſubducere rupes
Incipiunt, alboque jugum demittere clivo.
Hic eſt, quem canto: cantarunt hunc quoque Sylvæ,
Et fluvii, & gelidi fontes, & mollia prata,
Et ſaxa, & lauri, & pecudes, Nymphæque Deique.
Mel. Sed quid eum cantas? Quid, Tityre, fecit Alexis?
Tit. Quid fecit? Melibæe, rogas? ſi Thracius Orpheus
Carminibus victus mihi cederet, aut Linus ipſe;
Non tamen illius tentarem dicere facta,
Facta Sophocleo non æquiparanda cothurno:
At modo quod geſſit, paucis (adverte) docebo.
Sævus aper, Melibæe, fuit, quem ſaltus alebat
Vicinus, qui dente minax, & ſpumeus ore
Rus devaſtabat late (miſerabile dictu!)
Et pingues lacerabat oves, oviumque magiſtros.
Mel. Hunc vidi, & memini fruſtra concurrere ad arma
Agreſtes, trepidoſque vocare ad bella Colonos.
Tit. Huic hodie in pectus telo grave vulnus adegit
Hic ovium invictus cuſtos: Aper illico fugit,
Ingemuit miſere ſupplex, Pacemque popoſcit.
Mel. At tibi pro tali merito, fortiſſime Paſtor,
Quis grates dignas? quis juſtos ſolvet honores?
Tit. Ludere jam calamis fas eſt, & dicere verſus;
Frigora captare, & molli requieſcere in herba;
Paſcere oves, paſtas ad flumina ducere potum:
Hanc requiem nobis, hæc otia fecit Alexis,
Is tandem, is ſolus Saturnia regna reduxit.
Mel. Huc ades, huc, ô Alexi: vocant te paſcua & arva,

Te nemus omne vocat, nemoris tutela decuſque.
Tit. Te ſegetes, ô Alexi, ſonant, arbuſta, myricæ:
Te pecudes, ô Alexi, canunt, armenta, gregeſque:
Teque Viri, & Satyri, Faunique loquuntur, Alexi.
Mel. Te volucres, ô Alexi, ferunt, ventique per Orbem;
Teque etiam pulſæ referunt ad ſydera valles.
Tit. Dum gramen pecori gratum eſt, dum matribus agni,
Dum liquidi fontes Nymphis, Paſtoribus umbræ:
Semper, Alexi, tuas cantabit fiſtula laudes.

Franc. Bennet, A. B. *Coll. Regin.*

QUid mihi Radices quibus uſque exordia ſumant
Annorum curſus, certaque puncta crepas,
Quiſquis es affectu ſtudioque abreptus inani,
Cui niſi Primorum tempora nulla placent?
Tædet Olympiacus, Romæ mihi diſplicet annus
Extructæ, Auguſtí gloria nulla manet.
Si nempe inſignis virtute inclaruit Heros,
Poſcunt ecce! aliud tempora principium:
Surge adeo annorum jam magnus & integer Ordo,
Tuque Epochæ, Princeps, inclytus Author eris.
Non ea Normanni nobis memorabitur olim,
Sed tua ſe ſiſtet Regibus Æra Caput.

Gulielmus Tendring, Coll. St. *Pet.* Commenſalis.

Introitus Triumphalis.

ÆRatas canerem portas, æternaque ferri
Robora, & occluſi ſtridentia limina Jani:
Armorum canerem ſtrepitus, incendia, luctus,
Mille artes necis, & Bellantûm mille furores
Alte ſopitos intra penetralia Templi:
Qua triſtis Bellona gemit, Mavorſque revinctus
Æreis à tergo nodis, & mille catenis
Infrendit, tumiduſque, & adhuc rabida ora cruentus.
Sed mihi ſplendidior rerum naſci ordo canenti
Viſus: magnifici clara incrementa Triumphi.
En! medio incedit Cæſar: qui quantus in armis
Emineat, ferrum quo turbine torqueat, Urbes
Ut premat obſidio; teſtentur capta Namurci

Mœnia

Mœnia, purpureis teſtetur Boinius undis;
Aut modo ſervatæ minitantis ab impete Brugæ
Boufleri; Gallus multo unde pudore redibat
Perfuſus, Divos & inania vota laceſſens.
Aſpice ut aſſurgant Triplices de vertice criſtæ!
Ut tremat horrendum de caſſide ſumma Chimæra!
At Pictura pii ſubtexitur aurea lævi
In clypeo Arthuri, quem nulla adverſa ſubegit
Aut Terræ, aut Ponti vis formidabilis; ingens
Fabula! nec veſtris, GULIELME, laboribus impar.
Sic Tyrio ſpectandum olim ſe Arthurus in oſtro
Præbuit Angliacis; ſic tandem bella gerebat
Proſpera; pacatis referens læta Otia terris.
Hinc Portlandus ovat: qui Campum ingreſſus ad inſtar
Pugnantis, telum abjecit: tamen haud inhoneſtam
Litem iniit, telo nudus; namque inde revexit
Plus quam qui rediit, magni arma indutus Achillis:
Dic etenim cui ſit Belli tam ferreus ardor
Quis ſit tam patiens Martis Bellator iniqui?
Ut malit fœda quæſitis cæde redire
Exuviis plenus, diroque ſuperbus Honore;
Quam Pacis ſpoliis, & tempora cinctus Oliva.
Illinc Pembrochius, quem diva Minerva tenellum
Erudiit, multaque inſignem reddidit arte;
Incedit, ſolers, Atavis ingentibus ortus,
Jam tamen Ipſe atavis ingentior omnibus exit:
Conſiliis, Reſvicæ, & amico Numine pollens
Orator, fera corda domat, Cœtumque frementem;
Cuique ſuum dare jus, ſua Fœdera cuique peritus.
Aſtant Heroes, ramis felicibus omnes
Ornati; læta populi clamante Corona.
Aſt alia ex parte Auriacum comitantur euntem
Pugnaces turmæ, belliſque invicta Juventus:
Omnes militiam, & ſub Te tolerare Magiſtro,
Naſſäide, grave Martis opus, tua cernere facta
Aſſueti. Inde alii clypeos, enſeſque decoros
Oſtentant: alii Gallo bene nota cadenti
Spicula, & in pugna ſemper felicia tela.
Hos inter Chlamyde, & pictis Ormondus in armis
Conſpicitur latè; juxtaque Athlonius aſtat;
Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus auſis.
Erlus ibi ingreditur, fortunatuſque laborum,

GRATULATIO

Egregiuſque animi: juvat & quos Oppida lento
Obſidio quatere, atque inimica laceſſere Caſtra.
Ante alios mihi Cuta bonus: cui vivida bello
Dextera, & in duris ſemper nimis ardua virtus:
Quali Marte ruit! quantus Deus incidit Ipſi
Ante tubam! at laudum ſint hæc faſtigia ſumma,
In bellis ſequitur GULIELMUM fidus Achates
Parte alia ventis & dîs Orfordus amicis
Sæpe uſus graditur; cui tempora ſplendida Lauro,
Atque inſigne nitent navali ornata Corona.
Jam neque Carminibus noſtris indictus abiret
Nevillus, ſinerent modo fata——
Sed vox nulla gravis, fundatur Nænia nulla
Triſte ſonans; patriæ feſtis adſiſtere ſacris
Dum juvat, & longam Auriaco acclamare Salutem.
En meritis lectos omnes tibi, patria, cives!
En talem tantumque tibi, Britannia, Regem!
Hic pueris Virtutis iter, veroſque labores
Monſtrabit; Paciſque artes, & munera Belli
Edoctos dabit, & magna inter præmia ducet.
Quin age læta tuos fido committe Penates
Ocyus arbitrio reducis tibi Cæſaris: hujus
Fovit adhuc Te dextra, hujus Te dextra fovebit.

Barnham Goode, A. B. *Coll. Regal.* Soc.

O Quæ reducis, Magne Rex, tecum bona
Ramum benignæ Palladis ferens manu!
Quæ quanta quanta ſint, hoc inſtar omnium,
Quod largiorem copiam indulgent Tui,
Quod Te fruetur læta nunc Britannia
Soluta curis anxiis, quibus antea
Mori ſolebat miſera, Te quoties Tuæ,
(Simulque Publicæ ſalutis) prodigum
Stimularet ardens animus in pericula,
Daretque ſtrages Dextra, quas Martis velit
Manus dediſſe, quas Tui velint Avi.
Sed nunc labori bellico datum ſatis,
Satis cruenti præliis campi, ſatis
Victoriarum laudibus, pares quibus
Nemo triumphos retulit, aut referet pares.
Quin macte, Princeps, laudibus ſemper novis,
Et nos gubernans otio haud ignobili

Bellis

Bellis adæqua quam paraſti gloriam.
Sic Gens Britanna, facta jam Bello timor
Totum per orbem, fiet Auſpiciis tuis,
Quam Tu dediſti, Pace florentiſſima.

Ric. Stephens, A. M. *Coll. Regal.* è Sen. Soc.

DIvina à patrio venit Concordia Cœlo,
Quoſque dedit, verſus vendicat Illa ſuos.
Ingenuos latices, & amicam Vatibus Umbram
Muſa petit, vacuum carmina pectus amant,
Pax reficit Vatem, reſidet diſcordia mentis,
Et motus animis, Pace volente cadunt,
Lætus oves numerat Paſtor; lætuſque retentat
Phyllida bucolicis concelebrare modis.
Rege pium vulgus potitur, Regique viciſſim
Eſt conceſſa ſuis copia poſſe frui,
Jam coeunt animis, coeunt jam viribus Angli,
Seque agnoſcentes altius ire parant;
Non rogo plura Deos, ſerus modo denique ſerus
Cœlitibus jungas Te, GULIELME, tuis.

R. Pupplett, Aul. Cath. *Alumnus.*

SÆviit effrænis toto Mars impius Orbe;
Dum quaſi (ſecluſis penetralia ad intima cœli
Diis ſuperis) orbis ſibi credita cura fuiſſet
Humano ut generi leges daret, & ſua jura
Gallus, vicinas impunè laceſſerat urbes,
Fas verſum atque nefas, hanc diruit, obſidet illam,
Occupat hanc, aliam devaſtat, fundit in omnes
Imperium, & totum inflatus ſpe devorat Orbem:
Donec Naſſaviis data ſceptra Britannica curis,
Et rerum commiſſus apex, ut militet omnis
Illo, Europa, duce, & tranquilla pace fruatur.
Quantæ convenêre manus ditione ſub una!
Mens eadem cunctis & tot diſcrimina vocum.
Obſtupuit Gallus, qui terram hominesque Deoſque
Ante fatigarat tumidus, victricibus armis
Jam cedit, GULIELME, tuis, & ſanguine tanto
Quæſitas, tanto ſervatas reddidit urbes,
Atque metu fractus pacem petit, impetratque:

GRATULATIO

O cunctis optata salus! qui pene ruenti
Lapsuroque tuos humeros objeceris Orbi!
Victor ades, tecumque redux (Pater optime Gentis
Angliacæ) festo pax cingitur aurea cultu.
O fortunatos nimium, sua si bona nôrint,
Angligenas! quos alma, procul discordibus armis,
Pax fovet, optatoque vident se Rege potitos.
En dilata diu melioris sec'la metalli!
Sub Jove WILHELMUS mundi moderatur habenas.

Johan. Campion, A. M. *Coll. Magd.* Soc.

ALbion bello modo nubilosa,
Quale non nôras, neque, spero, nosces,
Exeras tandem caput, & triumphes
Lumine Pacis:
Pacis haud fœdis precibus paratæ,
Neve servili precio redemptæ,
Nostri at illustris toties trophæis
Cæsaris ense.
Ille nimirum, tuus ille custos
Fecit ut tutus mare nauta tentet,
Gallia ut portus paret hospitales
Navibus Anglis.
Arma enim quo non penetrare possent,
(Arma quæ vis non repulit Namurci)
Limites sacri nisi terminassent
Juris & æqui?
Intra at hos fines animum premendo
Latius regnas, GULIELME, quam si
Gallia victa tibi paruissent
Ambo Britanni.
Audiet per te gladiis vacare
Christianorum saturis cruore,
Et feret metas sibi præstitutas
Luna Othomanni.

Guil. Burrough, A.B. *Coll. Trin.*

Anglia

Anglia ad R E G E M.

LÆta fui, ſalvum quod, Princeps, feceris Orbem;
Sed quod es incolumis Tu mihi, læta magis;
Scilicet hoc ſaltem fas eſt, quod, tanta ſalutis
Cum Tibi cura meæ, ſit mihi cura Tuæ.
Ah quoties metui, ne Te quis caſus in Armis
Sterneret, inque Tuo funere Regna mea!
Ah Tua ne perdat Te meque interrita Virtus!
Quæ-Te-cunque manent, me quoque fata manent.
Tu mihi plus Requie, mihi plus dilecte ſalute,
Tu mihi vel fama charior uſque mea,
Huc properes, Populi quid Gaudia tanta moraris?
Quid Tua? quæ Reduci mox Tibi noſtra dabunt.
Tu pro Pace mea pateris diſcrimina belli,
Qua ſine Te nollem, mi GULIELME, frui.
Pace redi: populique Tui cape vota, Trophæum
Hoc Tibi ſit potius, quam dare Gallus habet.
Sit cives meruiſſe Bonos Tibi ſæpe Triumphus,
Quo ſine conjuncto milite Victor eas.
Hæc certa, hæc noſtris figens veſtigia Terris,
Solus ad Arbitrium quælibet Orbis agas.
Hic ſedeas meritis redimitus tempora lauris,
Quas Tibi tuta tuo munere terra feret.
Huc Tibi pro Regnis præſtabunt præmia Reges,
Et referent dextræ debita Sceptra Tuæ.
Sic olim Auguſtus Romæ ſtetit arbiter Orbis,
Tu tamen & Romæ Victor, & Orbis eris;
Terrarumque reges Dominos, dum ſit Tibi multo
Principe pro populo Regia plena Tuo.
Per mare non opus eſt externas quærere Gentes,
Si mihi Tu maneas, Anglia mundus erit;
Ut maneas, dulci complexu pulchra tenebo,
Et Tibi, qua poſſim, munera grata petam.
Per freta per terras currens nihil Ipſa recuſem
Ferre foris, præſens ſis modo, Cæſar, Honos.
Soſpite Te mihi ſalvus Honos, ſemperque manebunt
Omnia tuta viris, & ſua Templa Deis.

GRATULATIO

Ignea Meteora in reditum REGIS.

ASpice ut erumpunt Ignes, & in Aëre gaudent,
Victoriſque Pii nomen ad Aſtra ferunt!
Deficiat tantis ne Lux tempuſve triumphis,
Hic tibi nocte novus ſit, GULIELME, Dies.
His tremuit pariterque & plaudit conſonus Æther,
Moxque aliena capit fulgura, datque ſua.
Salmoneu periiſti iratum imitate tonantem,
Noſtra placent vero fulmina ficta Deo.

H. James, A. B. *Trin. Coll.*

Ad REGEM.

QUando triumphales cingunt tua tempora Laurus,
Et populus laudes jactat ubique tuas;
Votis ſi faciam, non indignabere, votis
Sed facilis credes pondus ineſſe meis.
Sis, precor, ut felix, ut vivas Neſtora totum,
Invideatque hoſtis, quod timet, imperium;
Sed fruſtra, Tibi pro meritis dum ſemper honeſtant
Aurea Sceptra manus, Laurea ſerta comas.

Gulielmus Berners, *C. C. C.* Commenſal.

POST belli fractas acies, cædeſque nefandas;
Martis, quaſſatum cum jam ſatiaverat Orbem
Tempeſtas furioſa, optatæ tempora Pacis
Reſtituunt requiem: nebulis jam, Phœbe, fugatis
Demittis placido radiantia lumina Mundo;
Quæque prius triſtes monſtrabant aſtra Ruinas,
Nuncia Lætitiæ modo ſunt & divitis anni.
Dicitur Aſſyrios renovare incendia nidos
Implevit quoties ales pretioſa Novena
Sæcula: ſic poſtquam nidum ſibi ſtruxerat armis
Annos jam confecta novem furialis Enyo,
His animam impoſuit, ſatiataque lumina clauſit;
Diſſimilis matri Soboles de funere prodit
Grata ſalutato crepitans Concordia nido.
Macte Decus Britonum, faveat nec Mars tibi tantum,

Conſi-

Consiliis sed Pace suis Jovis alma propago
Adjuvet, ut binam teneas in corde Minervam,
Quosque prius pugnis hæc, det Tibi læta triumphos
Altera, & exuvias duces sic Pace superbas.
Europæ requie infracta, nec Fœdere tuto,
Libertas tentata prius, jam infensa Tyrannis
Facta, feram toto exortam videt Orbe procellam.
Tu vero citharam modulans, ut si quis Arion
Alliciat Delphina sui dulcedine Cantus;
Moliris summam variis servare quietem
Consiliis; similis Phœbo tua lumina mittis,
Lumina si valeant venienti occurrere nimbo;
Profuit at nihilum tanti Veneranda potestas
Principis, & vasto cœlum tonat omne fragore,
Concutitur ventis, crebrisque tonitribus Orbis,
Tempestas violenta Chaos revocare minatur.
Europæ rebus laceratis subvenis, Armis
Instaurans Pacem, turbatoque Otia mundo.
O Britonum felix tanto sub Principe terra!
Exue pullatas mœsto de corpore vestes;
Pacificam frontem crescentis Gloria Olivæ
Ambiat; & referas palmas cum Rege reverso:
Persia sic Solem deflevit mœsta cadentem,
Cum Sol Hesperias rutilans festinat in Undas,
Impatiens noctis, dulci vix lumina somno
Declinat, vario pectus dum fluctuat æstu;
At postquam insurgit Cœlo nitidissimus albo
Lucifer, Eoasque beavit lumine terras,
Exultat, ludisque diem Choreisque salutat,
Et placidos victa ducit de *Nocte* Triumphos.

Johannes Rolle, Coll. *Regin.* Socio-Commens.

Ad REGEM.

OLim ut fulminea populatus cæde Gigantes
Jupiter, ascendit Regna quieta poli;
Eventum pugnæ concurrunt discere Divi,
Et gaudent Cœlo liberiore frui:
Sic nos, post terræ infractas Pelagique procellas,
Adventu gaudes exhilarare tuo;

Ut, cum miſiſti iratus tua fulmina in hoſtes,
Poſſis jucunda viſere Pace tuos.
Sic tua poſt tanti rident diſcrimina Belli,
Et ſecura ſuo ſub Jove regna vigent:
Conjurent fruſtra Reges in bella minores,
Diffugient trepidi, ſi, GULIELME, tonas.

G. Sutton, Trin. Coll. A. B.

FUge *Muſa, modis* refrænare
Lætitiam omnivagam, & quæ
(Si quæ unquam) neſcia eſt *modi.*
Eadem vero qua diffunditur latitudine
Celebretur itidem,
(Et ſi fas ſit)
Supra.
Pax, & *Quies*, & *Amicitia*
Omnium lenimina Miſeriarum,
Diutius exoptatiſſima,
Summa *Deorum* dona, & *Mortalium* Gaudia,
Redierunt tandem ad *Nos* beandos;
Atque ex longo intervallo
Acceptiora.
Rediit *Gulielmus Ille Invictiſſimus*,
Qui quum ſemper *Suis* eſſet gratiſſimus,
Nunc vel *Inimicis* etiam
Non poteſt non eſſe Amabilis.
Rediit priſtina Facies *Britanniæ*
Eadem omnimodo, ni forſan clarior,
Sicut *Æther* poſt tonitrua ſerenior,
Atque à *Bello* hoc inſuper reportamus commodi,
Pacem nempe ut ſolidius amemus,
Simul & tutemur;
Pariter ac *Nauta* multo jactatus ſalo & tempeſtate
Poſthabita prius littora
Optat & amat.
Quæ jam *Marmora*, quæ *Monumenta*, quas *Pyramides*
Struamus?
(Paria *Wilhelmi* Gloriæ, noſtroque officio)
Atlanti noſtro,
Qui *Orbem* pæne labefactatum,
Numæ,

Qui

Qui *Religionem* prope lapſam,
Fabio vere *Maximo*,
Qui *Patriam* ruentem, *Libertatem*, & *quicquid charum*,
Suſtentavit, reſtauravit, redintegravit.
Diſcat dehinc *Gallia* licèt potentiſſima,
Inter ſuos *Se* limites continere,
Ne refluat minor.
Agnoſcat qualis, quantuſque ſit *Gulielmus*;
Cætera norunt,
Et *Tagus*, & *Ganges*, imo & *Antipodes*.

Rob. Read, A.M. *Coll. Joh.*

PErtulit infeſti ſatis Anglia tædia Martis,
Et ſatis afflixit pectora, cura, Ducis.
Defeſſos populos tandem Pax alma reviſit,
Lenior & cæpit tangere cura Ducem.
Non ultra abſentem queritur Gens anxia Regem,
Complexa at gaudet te, GULIELME, ſinu.
Diî propria hæc nobis faciant, ultricibus iris
Hunc meritum furiis exagitentque novis,
Optatæ quiſquis conturbet fœdera Pacis,
Seu vi, ſive dolo, triſtia Bella ciens;
Quiſquis noſtrum iterum GULIELMUM immiſceat armis,
Et curas iterum nos renovare velit.

Hen. Proctor Coll. *Regal.* Commenſ. ad Menſam Soc.

DUM jacet exanimis miſero confecta dolore
Anglia triſte gemens, Famæ dilabitur Aura
Nec (quæ ſæpe ſolet miſeris) jam ficta daturæ.
Protinus arrectas gratiſſima perſonat aures
Nuntia, compoſitæ fidiſſima nuntia Pacis.
Illa diu abſentis memorato nomine Divæ
Surgit, & exemptis laſſato pectore curis
Exerit alta caput, lætos vultuſque reſumit;
Neglectos croceo perfuſa & odore capillos,
Tempora pacifera ſpirantia cingit Oliva.
Viſendi ſtudio Matrem conferta juventus
Irruere, & cupidi cæpêrunt quærere cauſas;
Quæ circumfuſam ſic eſt affata Juventam.
Vos oh! præteritæ capiant oblivia Vitæ,

GRATULATIO

En ! rediit Tranquilla quies, datur ora tueri
Exoptata Deæ, longi pòst tædia Belli.
Cum modo visa fui dubiæ non credere Famæ,
(Tam subitum quis enim finem fore crederet iræ?
Bacchatus diris adeo Mars sæviit armis.)
Venit odoratos nuper Pax nexa capillos,
Et placido vultu sic est affata timentem,
Ecquis erit finis dubitandi? Territa nescis
Quid dubites adeo; Auriaco Duce & Auspice, nescis
Anglica se quantis attollet Gloria rebus.
Dixit, & in tenuem ex oculis evanuit auram.
Ergo agite, & Patriæ reducem celebrate Parentem,
Per quem lapsuri toties fundamina Regni
Stant stabilita magìs, nullis quatienda ruinis.
Qualis se Rupes, eruptis carcere ventis,
Undique concussis circumlatrantibus undis,
Mole tenet, lateri illisamque reverberat undam.

Thomas Neale Coll. *Trin.*

MOntis sacrati culmina si tenet,
Aut si Deorum concelebrat dapes,
Me Phœbus aspirans volentem
Digna Deo doceat sonare:
Dum canto laudes, & titulos tuæ,
WILHELME Princeps Optime Principum,
Virtutis, ô tutela Belgæ,
Saxonidumque stator ruentûm.
Seu vis scatentem mille periculis
Transire pontum, qua retegit domos
Plutonis obscuras dehiscens,
Mox rapidus ferit astra vortex:
Seu vis per amplos agmina Flandriæ
Campos coruscis horrida spiculis
Disponere, & præsente Gallo,
Rumpere per scopulos Namurci.
Hic vis retusa est Gallica, turbidi
Torrentis instar quæ modo proruit,
Hic dura WILHELMUS furori
Imposuit juga sævienti:
Audire magnos jam videor Duces,
Hinc Anglus, illinc Gallus, Iber, ruunt;

Cinctusque

Cinctuſque Belgarum corona
Moſcoviæ venit Ipſe Ductor:
Omnes ſalutant pacificum tui,
WILHELME, Numen: ſive aliquem Deûm
Refers ſub humana figura
Seu veterum unus ades Parentûm:
Sinas vocari te Patriæ Patrem,
Et cum ſat Anglis & tibi vixeris,
Cœleſtium accedas Deorum
Ad numerum, faveaſque votis.
Sic poſt quietem gentibus additam
Cœlo vetuſtas reddidit Herculem,
Conviva ſic Bacchus receptus
Nectareis epulis recumbit.

Francis Goode, Coll. Regal. *Alumnus*,

QUalia cum rapidi ceciderunt æquoris iræ,
Compoſitæque jacent tranquilla pace procellæ,
Gaudia jactatis permulcent pectora nautis.
Talia percipimus læti; ceſſaſſe tumultus
Pugnarumque iras juvat & funebria bella:
Turrigerum erexit tandem caput Anglia, & almæ
Pacali ramo crines innectit Olivæ.
Horrida letiferis non amplius agmina telis
Dextra nimis fortis GULIELMI ducet in hoſtes.
Non iterum campos, populo lugente, cruentos
Viſet, non iterum cives Regique Ducique
Solliciti metuent, rapiat, per tela, per ignes
Ne mens illa ardens & cedere neſcia virtus.
Jam redeunt rurſus Saturni tempora fauſta,
Pauperies longe fugit: petit æquora nauta,
Nec dulce avertet lucrum male Gallicus enſis,
Quod cura atque labor meruêre & mille pericla.
Qualis, ubi rerum ceſſit diſcordia prima,
Effulſit toto nova lux, nova gratia mundo:
Juſtitia atque Fides, & pleno Copia cornu
Se pulchras referunt. Æternum ferrea ſacri
Limina claudantur Jani, Furor impius intus
Perpetuis tenebris & carcere preſſus aheno
Ingemat, & magno indignans cum murmure circum

Clauſtra fremat, rabiduſque minas erumpat inanes,
Devinctus centum ſolidis adamante catenis.

Godfrid. Woodward, Coll. Regal. *Commenſ. ad menſam* Soc.

CErnit corruptos jamdudum Gallia nummos,
Vitalem ſuccum corporis Angliaci,
Et certam magis è vitiato ſanguine Regni
Peſtem, quam proprio ſpondet ab enſe ſibi:
Senſerunt morbum vigiles Rex, atque Senatus,
Et ſubito medicas applicuere manus,
Urunt, atque ſecant, liquefacta caloribus ingens
Maſſa fluit, nummis & nova forma datur;
Protinus exſurgit renovato ſanguine corpus
Regni, poſt morbum ſanius, & melius,
Hoſtis vidit, & obſtupuit, corpuſque, ait, iſtud,
Quod tanto è morbo tam cito convaluit,
Robuſtum magis eſt noſtris quam cedat ut armis,
Et ſubito pacem Gallia cauta petit.

Guil. Bullock, A. M. Coll. Regal. *è ſen. Socius.*

EN Rex WILHELMUS! qui quamvis mille Trophæa
Et palmas retulit toto clariſſimus Orbe,
Clarior hac una longe jam factus Oliva eſt.
Illum fama vehit penna ſtridente per aſtra,
Cœlo illum annumerat, nitidis illum inſerit aſtris.
Illic cæruleus variis ubi flexibus errat,
Vicinoſque beat Thamiſis cum Flumine Campos,
Vivat Io vivat! ſedes ubi Fata quietas
Oſtendunt, populos æterna pace gubernet:
Palmaque paciferæ jam ſemper cedat Olivæ.

Joannes Moore, Aul. Clar. *Alumn.* Rev. admodum in Chriſto Patris *Joan.* Epiſc. *Norvicenſis* Filius natu maximus.

QUaliter Ægæis ubi tandem nauta procellis
Elapſus, rapidi poſt mille pericula Ponti,
Lætatur ſoſpes patrias appulſus ad oras;
Non aliter Britonum pia gens, deſueta reſumens
Gaudia, vah! nimium ſævis jactata peric'lis,
Et Pace & Portu, tantis defuncta, quieſcit.

Longo

Longo igitur ſolvat ſe tota Britannia luctu,
Exuat atque atras nunc vero nomine veſtes
Albion, & læto conſpirent omnia vultu;
Nec ſolum effuſa ſit luxuriare voluptas
Lætitia, furere & dulce eſt jam Pace recepta,
Aurea quæ placidis terras circumvolat alis,
Nunciat & lætum poſt triſtia nubila ſudum.
O bene, quod non ſera ſuis edocta peric'lis
Gens inimica parat nobiſcum jungere dextras,
Jam nimium duri Martis pertæſa malorum:
Anglia non obſtat, placide componere lites
Sanguineas prudens, paciſque imponere morem;
Anglia tam longe pietate inſignis & armis,
Nec minus ipſa fide clara eſt, quam robore dextræ,
Corpora nec ferro melior, quam pacta ferire.
Si quid Lætitiæ eſt, Pax, & Concordia tuta,
Suppreſſæque iræ, ſedataque triſtia bella,
Et pietas & cana fides, & candor avitus,
Sacraque libertas, quæ tum gratiſſima nobis
Cum ſub Rege pio; tum ſunt vere Aurea ſec'la;
Si quid ſit; totum, Rex Auguſtiſſime, totum
Id tibi debemus, noſtræ fluit inde ſalutis
Inde fluit pacis ſpes prima & lucis origo:
Macte nova virtute, tuis memorande Britannis,
Macte novis titulis, majori digne triumpho;
Et quam Tu nobis, Tibi, Rex, Deus ipſe ſalutem
Præbeat, atque idem longa Te pace coronet.

Richardus Halford, Coll. Regin. *Alumnus.*

QUam per tela ruens petiit Dux acer, Olivam
Supplice fert tandem blanda Minerva manu.
Anglia ſic reducem, & tam pulchra fronde decorum,
Qualibus excipiet te, GULIELME, ſonis!
Heu! quoties timuit, doluitque, pericula cernens,
Et deſiderium ferre coacta Tui!
Quam nunc incolumi, ac manſuro Rege triumphat?
Qui Cauſa & Merces maxima pacis adeſt.
Quis? Princeps, Populuſve, ſit his felicior Actis?
Omnia læta Alter præſtitit, Alter habet.

GRATULATIO

Gaudia Cunctorum, per Te data, percipis Unus,
Inque vicem fruimur Teque, Tuisque bonis.

Rad. Blomer, A. B. Coll. *Trin.* Soc.

NOstra suos habuêre Deos jam vota; Salutem
Impertit Reduci vittata Britannia Regi,
Rexque redux illi. Candentibus aurea bigis
Pax redit unà: ambos, duo maxima munera Cœli,
Lætitia excipiunt Omnes; ferit Æthera clamor:
Tu tua, Musa, etiam testêris gaudia; raucæ
Conticuêre tubæ, nec jam per Classica stabit,
Quo minus ipsa tua carmen modulêris Avena.
Nec solum Angliacas pertentant gaudia mentes:
Ipsa Europa novos tantum non tota Triumphos
Instaurat: nuper positum caput altius effert,
Lætior eque suis surgit, fruiturque peric'lis.
Haud aliter Nymphæ, de qua sua nomina traxit,
Firmabant dubium crescentia gaudia pectus,
Cum, tumidi crebris defuncta laboribus alti,
Cretææ tandem sospes consideret oræ:
Tum raptis Tauro cingens sibi tempora sertis
Floruit, & secto Nomen dedit inclyta Mundo.
Iratus sed enim Geticas redit impiger oras
Jam dominaturus propria Gradivus in Aula.
Vos Turcæ Reducem, jam jam sensistis, & illi
Pæne Maronea concussi strage litastis.
Ast hæc sunt vestri tantum præludia Fati:
Vos graviora manent: Video, video, ipsa labascunt
Atque suis metuunt Byzantia culmina muris.
Nostra laboranti vestræ sat Classica Lunæ
Succurrêre diu: jam vobis cardine verso
Intentat subitam Concordia nostra Ruinam.
Ecquis tam nitidos animi fidentior olim
Ausus erat sperare Dies, cum fracta jaceret
Cladibus Europa, & lento luctamine quassa
Occidui penitus nutaret machina Mundi?
Huic præluserunt tot Sanguine pinguia, solum
Telorum & segetis fœcunda novalia, Luci?
Huic rubros toties volvens ad Littora fluctus
Pontus, & humano spumantia Flumina tabo?
Huic Ludovici Ardor, WILHELMI invictaque Virtus?
En! tamen ut positis mitescunt sæcula Bellis, Atque

Atque inſperatæ dilucet adorea Pacis
Auſpiciis, WILHELME, tuis! Tu ſcilicet unus
Ex iſto, Dux magne, Chao, Divi inſtar, amicam
Efformas Pacem, propriaque in ſede reponis
Europæarum Diſcordia ſemina rerum.
Salve Invicte Heros, Pietate inſignis, & Armis;
Te naſcente, ſuos vix egit Sequana fluctus,
Gallorum & toto trepidârunt vertice montes,
At Britonum læti Cœlo capita alta tulêre,
Liberiorque vaga geſtivit Thameſis unda;
Mira etiam ſenſere tui tunc gaudia Belgæ,
Venturæ per Te præſagia certa Salutis:
Nam Belgis Angliſque ſimul tu ſufficis; uni
Nec poteras tantam Virtutem inſumere Genti.
Salve Invicte Heros! ſalve! cape Laurea ſerta,
Nec pigeat toties meritos agitare Triumphos.
Ferto acclamantis geminata tonitrua Vulgi,
(Quæ cingit tua defendet quoque tempora Laurus)
Anglorum patiens columenque, Decuſque vocari.
Nec Tibi Pictavis Princeps memorabilis agris
Splendore officiet majori: plus Ludovico
Pax data laudis habet, capti quam Vinc'la Johannis.
Tu quoque tam crebris licet obſita, Gallia, damnis,
Plaude; Tibi Laurûs fungatur munere quercus;
Maximus à tanto non vincier Hoſte Triumphus.
Sat laudis, Tibi quod tanta Virtute gerendum
Non niſi ſub Nono Bellum concluſeris anno;
Nono Cæſareis olim ſpoliata catervis:
An metuiſti Omen? WILHELMI & Dextera fecit,
Cæſaris ut Tibi formidata recurreret Umbra?
Interea noſtram excipient placida Æquora Navem.
Spirabuntque auræ faciles, Ventique ſecundi:
Nam fauſtis nil non lætum ſperabitur Anglis,
Queîs ſimul affulgent conjuncto Lumine tandem
Pax & WILHELMUS; WILHELMUS gloria Regum,
Cœlicolas inter Pax formoſiſſima Divas.
Sic ſi forte ſuo exoritur cum Caſtore Pollux,
Cum laſſa indomitæ Freta vexavêre procellæ;
Neptunum fruſtra tum cærula colla tumentem
Inſultant alacres poſt fracta pericula Nautæ,
Et reboant toto feſtiva Celeuſmata Ponto.

Joh. Woodford A.M. *Coll. S. Pet.* Soc.

GRATULATIO

ANnorum per luſtra duo jam Gallia ſævis
Infremuit contra Te, GULIELME, minis.
Quid dignum tanto fecit conamine? tantæ
Naſſovium contra quid potuere minæ?
Bella movendo novam Tibi Gallia præbet honorum
Materiam, & ſemper Major ab hoſte redis.
Ne plures igitur referant Tibi bella triumphos,
Te tandem oblata ſiſtere Pace ſtudet.
Nil agit: invitatque tuas, dum Fœdera ſuadet
Et Pacem ut faceres, ad nova Serta comas.
Frontis honos Tibi par, ſeu Laurus tempora circum
It tua, ſeu mitis cingit Oliva caput.

Joſ. Alſton, Coll. *Regal.* Commenſ. ad Menſam Soc.

SAT caſtris Martique datum: ſat triſtis Enyo
Heſperii ſtrages inter deſæviit Orbis.
Nos tandem nivea veniens Concordia penna
Viſit Io! geminaſque inſani cardine verſo
Compoſuit Belli portas: intuſque furorem
Æratis cohibet nodis, & carceris umbra.
Ferrea miteſcunt, noſtro ſub Cæſare, ſæc'la;
Annorumque redit terris Saturnius Ordo.
Jamque adeo Ipſe venit GULIELMUS, corpore toto
Auguſtus, ſimiliſque Deo: cui plurimus almis
Luminibus ſcintillat honos: & Tempora Oliva
Victrices inter cingit placidiſſima Lauros.
Ipſe venit; poſitiſque minis, vultûſque furore
Bellaci, illuſtrat radiis tria Regna ſerenis.
Scilicet ardentem quæ quondam in prælia miſit,
Emeritum nunc Pace jubet manſueſcere Virtus.
Dicite Io Pæan, animis & gaudia plenis
Concipite Angligenæ: procul ô, procul eſſe profanæ
Curæ, inconceſſuſque Dolor: Jam dicite laudes,
Dicite Io Pæan, & carmina fundite Regi,
Regi, quem modo Victorem toto Æquore ſenſit
Celta fugax, tremuitque potentis fulmina dextræ;
Nunc placida tandem recreantem Pace Britannos
Læta Europa videt. Nec non & nomine tanto
Exciti accurrunt alio de cardine Mundi
Sauromatæ, & ſacram gaudent contingere dextram,
Quæ firmo occiduas ſociavit Fœdere Gentes.

Tuque

Tuque adeo noſtræ Pater Invictiſſime terræ,
Deliciæ humani generis, Decus omne tuorum,
Cœptis perge tuis bonus; & Virtutibus Ales
Ad cœlos molire viam. Te Martia Virtus
Cætibus Heroum, jamdudum immiſcuit, artes
Dehinc Pacis cole;
Tu Rege felices Populos moderamine juſto,
Et te ſublimem exæquet clementia Divis.
Aſſidua neque enim Saturnius infremit ira,
Pœniſve inſequitur ſontes, aut fulmine terret;
Temperat Ipſe minas olim, & ſua tela reponit,
Pacatuſque animum, propiori numine curas
Allevat humanas, & Paci conſulit Orbis.
Vos, Superi, quibus incolumem ſervaſſe Monarcham
Per varios caſus, dubii per tædia Belli
Cordi erat, Angliacæ reducemque oſtendere Genti,
(Felici nimium, propria hæc ſi dona dediſtis!)
Nunc quoque compoſito coëuntem in Fœdere Marte
Protegite; & tutos Pacis præbete receſſus
Commerito. Sacros non Majeſtatis honores
Conjurata petat rabies; Mortiſve recidat
Immatura manus. Cedat Libitina Triumphis;
Heroï & longum Virtus ſua proroget annos.

Johan. Chapman Coll. *Emman.*

FAS ſit ô tandem reparare chordas
Jam diu ruptas citharæ ſilentis,
Phœbe, Victorum decus, & triumphis
Numen amicum,
Eia, deponas humeris pharetram,
Irritas ſuſpende tholis ſagittas,
Amplius Muſæ comitem recuſant
Ferre Gradivum:
Jam ſatis triſtes ululavit Echo
Nænias, monti reboans bicorni
Mille cædes, mille fugas, cruenta
Per duo luſtra:
Totus accedas ſpoliis onuſtus
Delphicæ frondis, rediviva ſeræ
Te vocant dulcis citharæ potentem
Gaudia pacis.

Biſtonas rurſus petiit furentes
Mars ad immitem retroactus Hæmum,
Barbaris ſtrages geminat, repreſſa
Fervidus ira:
Littus adverſum Deus impediti
Turcicis jungat cumulis Tibiſci,
Vortices Iſtri, Tanaiſque cæde
Polluat undas,
Tu fluis puro taciturne Scaldis
Amne, nec criſtas, Clypeoſve volvens
Gaudium commune piger Parenti
Nuncius affers:
Gallica nunquam temerate prora
Thamiſis, tuto, Pater, invidebis
E rogis naſcentia civitatum
Mœnia Rheno:
Sic ab exuſto renovare nido
Ales annoſas Nabathæa plumas,
Sic novam fauſto ſolet auſpicari
Funere vitam.
Quo rapis mî, Phœbe, animum? Tonantem
Perfida Terræ videone victa
Prole ponentem rutilantis arma
Fulmina dextræ?
Læta ad optatum revocata cœlum,
Dexteram Patris veneratur, atque
Vix Jovem credit potuiſſe tanta
Turba Deorum!
Jamque ſubmiſſo redit hoſte Cæſar,
Orbitas divi redeuntis urgent
Pax diu victura, beata pleno
Copia cornu.
Nec tuis tantum, GULIELME fœlix
Imperas Anglis, ſed ubique, Solis
Æmulus, ſpargis radios ſalubres,
Atque benignos:
Liberum ſulcant pelagus Batavi,
Nec novi Hiſpanus ſpoliatur auro
Orbis, at communia Gallus ipſe
Commoda carpit;
Quæ dedit vulnus, dedit & ſalutem
Telepho placata manus, tuamque

Senſit

Senſit iratam, placidamque ſentit
Gallia dextram.
Vix tot è bellis toties triumphos
Te reportantem, GULIELME, credent
Pacis æternæ poſuiſſe funda-
menta Nepotes;
Quin ad extremos penetraris Indos,
Quaque diffuſum peregrina nomen
Fama victricis tulit Albionis
Duxeris Anglos;
Miſceant ſacris alii prophana
Ut novis jungant nova regna regnis,
Tu tibi neſcis nimio parare
Sanguine ſceptra.
Quæ tua divis iterata ſemper
Vota pro chara dedimus ſalute,
Haud ſemel divis iterata ſolvent
Thura benignis!
Serus in cœlum redeas, diuque
Lætus interſis populo Britanno,
Et Tuos multis propiore ſec'lis
Numine cura.

R. Gale, A. B. *Coll. Trin.* Soc.

SAlve Heros, pluſquam Victor! quas Anglia grates
Pacifico ſolvet, quas tanto Principe dignas!
Salve cura Deûm! duo maxima munera cœli
Te Pacemque tuis fers optatiſſima terris.
Scilicet ob pacem quod Veſtra Britannia geſtit,
Non eſt, quod tumidaſque minas formidat & Arma
Gallorum, Auſpiciis tam fauſtis certa triumphi,
Sed quia te fruitur proprio, exemptoque peric'lis.
Fama parum lætis victricia rettulit arma,
Heu! nimium noſtræ tua, novimus, æmula Virtus
Conſultura fuit, propriæ ſecura ſalutis.
Tam chari Capitis ſunt ipſa pericula tanti,
Ut nova diſpliceant ſic noſtris addita regna.
Salve iterum! meritis adeo tu vincis honores,
Ut nihil officio reſtet; debetur id omne
Solvere quod populum penes eſt Te Vindice fauſtum.
Quod tua Te lætis accedit Granta Camœnis,

Quod vultûs hilares, quod Ovantia conſpicis ora,
Alma quod aſſurgit grato tibi pectore *Mater*,
Non ſolum hoc quia ſceptra tenes, rerumque potiris,
(Hoc ſatis eſt Plebi, cui Regia Pompa voluptas)
Sed quia Tu Sceptris dignus, quia fortis & æquus,
Exitio ereptum populum defendis & ornas,
Araque quod lapſurâ in Te inclinata recumbit.
Cui non arridet libertas aurea dextra
Inſtaurata tua? Cui non Cœleſtia curæ?
Nam quod Relligio cultu non ſquallida luget,
Numina quod noſtris pelluntur adorea templis,
Quod non jura ſilent, quod avitis legibus uti
Conceſſum eſt, tribuit tibi læta Britannia totum.
Quod figunt templis haſtas, quod ſcuta reponunt
Hoſtiles Celtæ, quod Iberi fœdere gaudent,
Accola quod Rhodani, quod inermis turma Garumnæ,
Auditura tubæ quod non ſit Sequana raucum
Clangorem, & lachrymis quod nullis Matrona turget,
Iſtud opus, GULIELME, tuum.
At tu Dorſeti illuſtris, cui carmina ſemper
Et citharæ cordi, mordaci pingere mores
Carmine ſive velis, alios ſeu ad ſidera ferre:
Tu Montacuti, quo non præſtantior alter
Aut Regi aut Muſis ſervire, in utrumque paratus:
Tuque potens adeo numeris, atque arte medendi,
(Tu felix duplici cui nomine favit Apollo)
Vos hæc narretis, nam vos narrare poteſtis,
Dignum Rege ſacro, Vos condite amabile carmen.
Dicite quam præſtans bello, quam vivida Virtus
Terrorem incuteret, non evitabile fulmen,
Miſcuerat quoties Hoſtili prælia campo.
Inſignem celebrate Virum, qui Marte veternum
Excuſſit reſidi populo, exacuitque per arma.
Finitimi quem formidant, longeque remotis
Diviſi terris adeunt, venerantur, adorant.
Id vero memores ſæc'lis narrate Nepotum,
Heroïs noſtri famaque & nomine ductum
Longinqua à terra, Tanais qua frigidus amnis,
Volvitur in præceps, Lauris Sceptriſque relictis,
Magnanimum veniſſe Ducem, ſuper æthera notum
Compellare Virum, dextræque adjungere dextram,
Principe ſub majori arteſque ediſcere belli.

Mate-

Materia hæc veſtris calamis: nec publica cura
Impediat, veſtros hæc poſcit cura labores,
Argumentum ingens, veſtro & molimine dignum.

Joſ. Rawſon, A. M. *Coll. Regal.* è Sen. Soc.

QUod tandem nobis Libertas cara, quieſque,
Et defœcatæ Relligionis opus,
Aurea quod nobis rediêrunt ſæcula, Princeps,
Debemus ſtudiis auſpiciiſque tuis.
Sceptra tenes meritis. Nunc altior Anglia ſurget
Legibus antiquis, Imperioque levi.
Decerpant alii cum cæde & ſanguine Lauros,
Noſter Rex populi ſolus amore poteſt.

Guil. Worts, Aul. Cath. *Alumnus.*

JAM Belli defervet opus: jam lumine amico
Mitia manſuram conſpirant ſidera Pacem.
Otia tutus agas Miles, partiſque fruaris
Emeritus tandem lauris, enſeſque recondas,
Armaque, Barbarico immani magis apta furori.
Ferrum *Turca* vibret ſceleratum, & *Sarmata* crudus
Sæpe riget ſteriles effuſo ſanguine terras.
Hæ melius doctæ Gentes ſub pace quieſcant
Compoſitæ dulci, & multis majore triumphis.
Hoc eſt quod longis laſſavimus æthera votis,
Quodque animis armiſque acres certavimus omnes,
Si modo Mavortem ſævum expugnare daretur,
Aut Deus Ille malis hominum miteſcere vellet.
Poſt dubiique & pene decennis tædia belli
Incepit Deus Ille ſuis diffidere telis,
Se domitum virtute Virorum & mente Minervæ
Senſit, ſeque iterum Tydidis vulnere victum
Vidit, & Odryſios ceſſit maleſanus in agros.
Quo nunquam ad noſtras deflectat turbidus oras
Sanguineis invectus equis, reducique tumultu
Fœdera confundat, rebus magis invidus Æquis:
Jam ſatis eſt cædis; ſatis eſt cum ſanguinis hauſtum,
Deſævit ſubito febris, ceditque ſaluti,
Donec eant ſolitis vitalia flumina rivis:
Et cum luctentur calido contraria motu

Aſpera franguntur concurſu, & lævia fiunt.
Ferrea poſt ſæc'la & pluſquam civilia bella
Tempora tranquilla arrident; ſtrictoque labore
Parta quies placeat poſitis modo pulchrior armis:
Illa ſimul maneat longum veneranda per ævum
Vinc'lis ſueta ſuis, & ſeris firmior annis.
Sic ubi certaſſent pariturum elementa per orbem,
Et peteret bello requiem Natura perennem,
Facta modis miris concors diſcordia, partes
Adverſæ coeunt, nova rerum emergit imago,
Et ſibi conſtat adhuc divinæ Pacis Amore.
Quin tibi quas laudes, quas inſtauremus honores
Jam tibi, Magne Stator rerum, GULIELME, Paternæ
Defenſor fidei, & pro pace acerrime pugnæ?
Quo Duce, Belli alacris miles perferre labores
Tot didicit, paribuſque animos accendere factis.
Otia Tu rumpens primus reſideſque reducens
Fortis in arma viros, & jam deſueta Trophæis
Agmina, in antiquum genium famamque futuram
Conciliaſti *Anglos* iterum in ſolidoque locaſti.
Quis Tibi nunc, GULIELME, negat quis carmina? laudes
Invideat nullus, qui ſit Virtutis amator
Et verus patriæ civis; ſuperaveris Hoſtes
Invidiamque ſimul, ſe cunctos ſponte fatentes
Eſſe reos habeas, quotquot temerarius ardor
Abſtulit, infelixque prius ſubduxerat error.
Græcia priſca Duces jactet, ſibi Cæſara Roma,
Tu nobis GULIELMUS eris. Tibi plurimus Uni
Submittit populus faſces. Te fata Deuſque
Europæ columen ſtatuunt, Sceptriſque rependunt
Egregium Virtutis opus, Lauriſque coronant:
Te Terræ agnoſcunt *Regem*, ſummumque ſalutant
Victorem, & Dominum Oceanus ſonat omnibus undis.
Interea in noſtras reſidens pius Arbiter oras,
Et rebus moderans ſolio Supremus ab Anglo,
Ipſe tenes ſtabiles æquo libramine Gentes
Juſtitiæ ſimilis, ſcelerique imponis habenas,
Et das circum Orbi fineſque & Jura volenti.

Br. Fairfax, A. B. *Trin. Coll.*

Vide-

VIderat inſtructos Europa in prælia Gallos,
Cœperat & tandem permetuiſſe ſibi.
Quò fraus, quò feritas, quò nota ſuperbia tendat,
Cura, timor populis omnibus unus erat.
Horruit ante omnes Britannia mœſta, tueri
Quod quæ deberet dextra negaret opem.
Intremuit, cum (quo non infelicior alter)
Ipſe ſuas vellet prodere Paſtor oves.
Quiſnam igitur præſens propiora pericula pellat?
Quem vocet Heroum, quem vocet illa Deûm?
Quem? niſi, qui potuit toties fulcire ruentem,
Victrici & toties reppulit arma manu,
WILHELMUM. Is tandem docuit Te, Gallia, pacem
Velle, prius viſam nil voluiſſe minus.
Ergone ſecuras (O ingens Gloria!) Gentes
Tot, tantaſque Urbes fraus dedit eſſe tuas?
Ut tandem bello repetitæ (Dedecus ingens!)
Urbes & gentes ad Dominos redeant.
Quod furor abſtulerat, quod multos Bella per annos,
Vindice WILHELMO rettulit una dies.
Omniaque agnoſcunt Dominos jam læta priores,
Communiſque novo Fœdere junxit Amor.
Jam rediiſti igitur, Princeps Optate; tuorum
Spes exples, præſens gaudia noſtra foves.
Semper grata Dies, noſtris quæ Te attulit oris,
Quæ cum pace ferat, gratior illa Dies.
Quam læte vel Marte gravem Te excepimus olim,
Annua teſtantur munera voce patrum.
Quam læte fulgebit Honos & frontis Oliva,
Et patrum, & populi vox Tibi teſtis erit.
Felix, ter felix, quem ſic amplectitur ulnis,
Sic amat, & votis Anglia læta colit.
At vos infeſti (ſi quis jam inſanior odit
Quem ſic eximium, ſic meruiſſe videt)
Parcite vel tandem convitia fundere, vel quæ
Et dedit, & ſervat, parcite velle frui.
Nos trahit aſtrictos GULIELMI Regia Virtus,
Nos trahit Armorum gloria, Pacis honor.
Ibimus, haud mora, confeſtim nos ibimus omnes,
Quocunque ille vocat, quam jubet ille viam.

Rob. Walpole, Coll. *Regal.* Alumn.

GRATULATIO

ODE.

O Sacra Navis, quæ tibi creditum
Regem Britannis littoribus citò
Debes, reponas O! precatur
Anglia, depoſitum fidelis.
Jam deſiêrunt claſſica bellico
Miſcere ponti cærula murmure,
Non amplius jam naviganti
Gallicus inſidiatur Hoſtis.
Quin & relaxans Carcere de cavo
Ventos ferentes Æolus adjuvat,
Rectorque Neptunus ſecundans
Marmoreum reſupinat Æquor.
Salvum reponas; ſic ſuper Æthera,
Quà fulget Argo, (vatibus hic labor)
Donata cœlo Tu micabis,
Ipſa aderis quoque Stella Nautis.
Non læta fallunt Omina conſcios
Fati Poetas: En! ſubit oſtia
Secura navis, plauſibuſque
Aëriæ fremuêre rupes.
Viſuntur unà deſuper aurea
Pax, atque pacis filia Fauſtitas,
Adnare ripis, atque circa
Veliferos volitare malos.
Ut gratulatur nobile Civium
Agmen receptis! ut reſonat pio
Clamore ſylvæ! argenteiſque
Ut pedibus Thameſis reſultat!
Qui nunc ſuperbo lætior alveo,
Indique opima merce beatior
Incedit, ut cui flavus Urna
Auriflua Tagus invidebit.
Non jam decorus pulvere Martio,
Non Gallicano Sanguine ſplendidus;
Inſignior, de Pace tantos,
Cæſar ades, referens Triumphos.
Eſt ſcilicet, cum vis bona Conſiliî
Et fulta Dia mens ſapientia,
Felicius lites diremit,
Ac rigidos ſuperavit enſes.

Hac

Hac lege Pallas, consilii Dea,
Et nata summi de cerebro Jovis,
Aptam sua de præparavit
Arbore pacificis Coronam.
Vellemus omnes Artibus his dies
Volvi serenos: dira Necessitas
Obstabit, humanisque rebus
Jura dabit pariter severa.
Fatis probatur sed tamen arduis
Regina Virtus; hoc potius modo
Formantur Heröes, Honorem
Difficili pede consecuti.
Devicta sic post mille pericula,
Junonis iras, & pelagi minas,
Fatalibus Dux, cum labore,
Pergameus requievit arvis.
At tum Latinis cana redux Fides,
Furorque Martis barbarus exulans,
Tandem Patrem absolvêre Divûm,
Pollicitum meliora Natæ.
WILHELME, tales Auspiciis tuis
Speramus annos: credite posteri
Concessa parvo vos manere
Sec'la Jovi, juvenique mundo.

G. May, A. M. Aul. *Clar.* Soc.

ERgo alacris longo te solve, Britannia, luctu;
Exurge, & plena tua concipe gaudia mente;
Rursus desertas dignata revisere terras
Pax, & cana Fides; & tu compôsta quiete
Hosti eris invidiæ, velut olim armata timori.
Vosque Chori errantes, vos aurea sydera Cœli,
Quæ blando septem subjecta trionibus arva
Despicitis vultu, atque arcana volumina Fati
Panditis ignaris, date signa faventia vestræ
Singula lætitiæ, quia tandem Maximus Ille,
Quem vos everso finitis succurrere sæclo,
Dura, triumphatis, post prælia Victor, ab oris,
Optatos repetens, optatus & ipse Penates,
Suspendit, seris miranda Nepotibus, arma.
Tuque O, quæ nuper questa es nova monstra, profundam

Exere lætitiam, jam veri effæta veneni,
Nec ſera ingentes, Hibernia, concine laudes;
Nam reſides tu prima viros in bella moventem
Senſiſti Heroem, qui jam deſueta triumphis
Agmina agens, docuit vetera inſtaurare Trophæa,
Dignatus domito ad bellum præludere Regno.
Atqui interpoſitam ne Gallia gaudeat undam,
Occupat Oceanum, atque ad pugnam accingier auſos
Contudit, Æquoreis hoſtem indignatus in undis:
Tum nova cæruleæ ſtupuere tonitrua Nymphæ,
Et calidas miratæ undas, tinctumque cruore
Neptunum, gelidas fugiunt ad fluminis undas:
Nempe aliquid cœleſte tibi eſt; quod ſerviat Æquor,
Certatimque avidi properant ad Claſſica venti;
Mox & præſentes Divos deducis ad arma,
Gallia quum trepide pallentia Lilia quaſſans
Ad galeæ infeſtum, viſæ de montibus, ignem
Horruit, & domitum conceſſit victa Namurcum.
Sic Heros novit, Diis auxiliantibus, omnes
Præcipitare moras, & mundo fervidus inſtat.
"Et dubitamus adhuc Virtutem extendere factis?
Ah! ne vincentem revocato, Britannia, Regem:
Ah! ſinito mundum ſub leges mittere; ſed quid
Molior imprudens? populum quid flecto dolentem
Vincere, ſi abſentem ſequitur Victoria Regem?
Ergo reſpexit lacrymas & ſubſtitit Heros;
Multa, diuque ſuo generoſo in pectore verſat;
Multumque Herôi ſtimulum dat conſcia Virtus;
Spondet & innumeros verax Fortuna triumphos,
Sanguine ſed multo, & numeroſa cæde cruentos;
At nec tot fortes animas in funera poſci
WILHELMUS voluit, Patriæ & pia vota morantem
Accelerant, mœſtam cui non dedit ille repulſam:
Illum igitur (cujus viſis modo Vindicis armis,
Horruit ad certam palleſcens Gallia mortem,
Nec bene tuta ſuis vallatis Mœnibus) ultro
Vicit Amor patriæ, vicit pia cura Britannûm.
Salve certa Salus Patriæ, nec plura mereri
Fas homini eſt, nec promeritas perſolvere grates
Aut animi linguæve valent, gratæve Camænæ:
Verum (ah!) ſi reducem te magna Maria ſuperſtes
Nobiſcum Auguſto fuerit gratata triumpho

(Ut

(Ut ſolita eſt) pulchraque manu detraxerit Arma:
Felix! heu nimium felix foret Anglia, ſi quà
Aſpera rupiſſet modo Fata; ſed ardua ceſſit,
(Sive ut, qua gaudet, Pacem demitteret Orbi,
Sive ut tu ſolus Mundi modereris habenas)
In cœlos ceſſit, placidis decus addita Divis;
Sydereoſque locos mirata incedit, ubi ævum
Æternant lætum, regnantque per Æthera Mentes:
At licet optatum (ah!) ſerum depoſce maritum;
Ah! ne tu doleas hominum curare Triumphos:
Quum tamen in cœlos depoſcent Fata, benignos
Vos Patriæ dabitis junctis Virtutibus ambo;
Atque ambo faciles noſtro aſpirabitis Orbi.

Chriſt. Anſty Coll. *Johan. Alumn.*

POST ſuperata diu incerti diſcrimina Belli,
WILHELMUS Lauro tempora cinctus adeſt,
Lauro cinctus adeſt, nec candida deſit Oliva;
Namque Illum, & Pacem rettulit una ratis.
Pacem etenim tandem pepererunt prælia nobis,
Bellique è Buſto naſcitur alma quies.
Sic Chaos Aurato dedit incunabula ſec'lo;
Idaliam Fluctus ſic peperêre Deam.
Felices Anglos! Superos vix plura rogemus:
Noſtra Salus non, quo progrediatur, habet.
Hæc modo ferre Deus det nobis Gaudia, noſtra
Nec ſinat inverſa Fata redire rota.

Carolus Beaumont, A. M. *Coll. S. Pet.* Soc.

SAlve, Magne Parens, æternumque oro ſit iſte
Mutus, cui potis eſt nunc lingua ingrata ſilere,
Nec Regem, Pacemque jubet ſalvere receptos.
Det Deus infandum belli renovare dolorem,
Spumantemque iterum ſpectemus ſanguine Moſam;
Si dubitemus adhuc, tibi, ſolvere Regis honores
Quem populi externi, quem conjuncta ora tuorum,
(Iſta parum) Regem quem vox inimica ſalutat.
Neſcio, gratemur, conſolemurve relictos
Belgas, ex omni qui nunquam parte beati
Cæſare cum bello, aut ſine Cæſare pace fruuntur:

Sat vobis Regem Angligenis, cœloque futurum
Eduxiſſe Deum: ſatis eſt ea gloria, veſtrûm
Nempe fuit *Princeps*; *Regem* permittite nobis:
Inſula ſola domus digna eſt: tu, Naxe, Lyæi,
Delphe, domus Phœbi caneris, veneriſque Cythera,
Tu Jovis antiqui Crete, Jovis Anglia noſtri,
Et ſemper ſedes aut Cœlum aut Inſula Divûm.
Nec totum amiſſum Belgæ lugete WILHELMUM;
Æquora nam fruſtra disjungunt invida terras,
Miſcerique vetant populos, quos fœdus amorque
Unum quos faciunt unus Princepſque Fideſque:
Haud nunc vobiſcum officio certaſſe priores
Pœnitet Angligenas, quos fæc'la priora videbant
In ferrum veſtra pro libertate ruentes.
Altera ad alterius fato gens nata ſalutem
Dat vicibus Defenſores; &, Belgia, *veſter*
Pluſquam compenſat *noſtram* GULIELMUS Eliſam.
Nec debet genti minus illi Hiſpanicus orbis;
Belgas jure vocat ſocios, quos ante rebelles
Cenſuit ignarus, jam non oblitus in illis
Eſſe ſuum Servatorem: vocat ipſe beatam
Jure diem, fatis contraria fata rependens,
Qua Belgæ, auſpiciis Cœli, & fautricis Eliſæ,
Excuſſere jugum: Regni partemque videtur
Præripuiſſe Deus *patribus*, ne Gallia toto
Privaret *natos*. At tu magis omnibus una
Flandria devincta es, toties quæ præda potenti
Infelix furi, medium in penetralibus hoſtem
Vidiſti indignans; donec dextram Ille movebat,
Ille alter vobis Moſes; lateque gementem
Vidimus infeſtis terram exonerare locuſtis.
Quod mirere magis, nos tandem agnoſcit amicos
Gallia grata ſuos, nec fruſtra experta Leones
Angliacos toties, (quod non Hiſpanicus hoſtis,
Non Aquilæ, Germane, tuæ, non major utroque
Paupertas potuit) pacem præponere bello,
Angliaco tandem dignatur ab hoſte doceri.
Non memorare vacat vos amplius, extera regna:
Cæſar adeſt: Quantos Thameſis Pater, unda Triumphos
Spectat, cum reduci dicat tota inſula *Salve*,
Atque iterum *Salve* reſonent tua littora late!
Nunc, ſi quando, eadem vox eſt populique Deique,

Cum

Cum Cœlorum inſtar tantum det terra fragorem,
Mortaleſque iterum ſonitus imitentur Olympi.
Major major adhuc tollatur ad æthera clamor:
Tota Europa ſuas, ut quondam Græcia, voces
Miſceat: ut rurſus ſtrepitu, quaſi fulmine vero,
Decidat attonitus de Cœlo plurimus ales,
Reddaturque ſuis iterum pia victima cœlis.
Vos laudes pacis, non hæc in munera natæ,
Vos reſonate tubæ, donec longe audiet æther.
Et, *Pax in terris*, hymnum ſatis æthere notum,
Angelici reſonare chori cœlum omne docebunt.
Hic vir, hic eſt matrum conclamant agmina, natis
Et digito monſtrant; dum nomen Cæſaris infans
Ante ſuum aut matris balbus proferre docetur.
Neve valent morbi lectis affigere patres
Longævos, ægre ſpectant Regemque diemque,
Contenti, detur ſi Cæſaris ora tueri,
Cum Simeone mori, pacem & celebrare ſepulchro.
Ædem ad Paulinam, jam Rex, miracula regni
Inter multa unum graditur; gremioque ſuperba
Virgineo capit illa ſuos Regemque Deumque.
Sic quondam Auguſtus Capitolia ad alta Triumphos
Ducebat lætos, ſic Diis Deus ipſe futurus
Sacra pius fecit, ſimiliſque ad cætera; noſtro
Ni viſum Auguſto, pacem cum redderet orbi,
Claudere non *ædem Jani*, ſed *pandere Pauli.*

Tho. Dibben, Coll. Trin. *Alumn.*

PRincipes tandem proceresque linquit
Magnus Europæ Superûmque Vindex
Tandem, adorati Capitis gravatos
Ferre receſſum.
Jam ſuos, terris olea renata,
Viſere ardeſcit populos ovantes,
Gaudio noſtro & recreare pectus
Nobile & ingens.
Jam Senatores GULIELMUS Anglos
Convenire ardet, Patriæque tandem
Soſpiti, pacis nova gratulari
Gaudia tutæ.
Gratulari ardet, reducem, Senatus

Insulæ nostræ decus auspicatum
Cæsarem, plus quam requies amica
Quam dedit ipse.
Albion votis petit invidendum
Fervidis Regem, Superis, nec ante
Quam revertatur statuit, Secundis
Pendere Grates.
Ergo cedatis, Batavi, Britannis
Jam suum tutò & sine Marte; (primum,
Vestri eum fines habuêre duro
Marte carentem)
Plaudite & vobis opere absoluto
Bellico, clausis soribusque diris,
Herculis vos tandem aliquando vestri
Posse carere.
Angliæ at pacem, reducemque Regem
Dum canunt lætis numeris Camœnæ,
Culmen excedant solitum, aut Cothurnum
Terra oriundum.
Sive enim pacem reducemve Regem,
Sive Regi ausint meditari honores,
Musa mortalis minime superbo
Munere digna.

Johannes Waller, A. M. *C. C. C.* Soc.

I Passas Europa comas, age, collige, natos,
Neu fore Cadmeios usque verere tuos;
Tela jacent inimica, ruuntque in Fœdera dextræ,
Nec Fratri, in Fratrem quæ ferat, arma manent;
Ecce tuo Cæsar dat jura Britannicus Orbi,
Lauro succrescens vincit Oliva caput;
Pax illi comes, Angligenas pax visitat unà,
Tisiphone infrendens sub pede victa jacet:
Neu metue, absentem longe quia clauserit Unda,
Præsentem terris omnibus Unda facit:
Ille Jovi similis Gentes trans cærula curat,
Protegit innocuas, reprimit Ense feras.
Dehinc falx ensis erit, nec quondam, ubi grata Colono
Enituit Messis, ferrea Martis erit:
Quin quæret Miles siccas inglorius artes,
Aut Gentem infidam signa reposcet ovans.

Omine

Omine jamque bono, media plus parte tenebris
Circumfusa, tegit Turcica Luna caput;
Victriciſque Aquilæ auſpicio perterrita, Chriſti
Ne pia conjuret Miles in arma, timet:
Utque ubi fata vocant, pectus ſubit horror anhelum,
Et dira Lacheſis concutit oſſa manu:
Sic illa extremos languet ſubitura labores,
Fatalem infelix ſic tremit ante diem.

Ad REGEM.

Te, Cæſar, multos memoranda Tropæa per annos,
Pacatique manet plurimus Orbis honos.
Vives, & firmo meritus lætabere Sceptro,
Angligeniſque feres gaudia longa Tuis.
Albion en! tandem felix pia lumina ſiccat,
Nec miſera in lacrymis fluctuat uſque ſuis.
Ipſe doces, Cæſar, Reginæ ignoſcere Divis
Raptum: Tu Cæſar, Tuque Maria tuis:
Una manus Bellum, Pacem regit altera, laudes
Duplicis Imperii dextra, ſiniſtra ferunt.
Felix, quam talis defendit Dextera Gentem,
Taliſque Imperii fræna Siniſtra regit.

Tho. Reade, Coll. *Regin. Alumn.*

NON prece jam vana Superûm laſſavimus aures,
Non ultra incaſſum cumulari altaria donis
Dîs Superis viſum eſt, ſemper frondentis Olivæ
Munera ſupplicibus felicia dona rependunt.
Salve, igitur ſummis Princeps invicte periclis
Bellorumque mora, Divino munere veſtris
Exoptata diu ſpes & tutela Britannis:
Te Duce gaudebunt Æterno Fœdere jungi,
Te Duce & accurrunt lætæ longo Ordine Gentes;
Et Tarteſſiacis fama eſt notiſſima, terris,
Quaque etiam Ganges naſcenti conſcia Phœbo
Flumina protendit; ſpumantiſque accola Rheni,
Quique bibit Tanain Moſcus tua ſigna ſequuntur:
Ipſe etiam Lodoix, & non Inglorius armis,
Geſtiet amplecti, & dextræ conjungere dextram.
Vixiſſes, Maria, atque Anglas invecta per Urbes
Sublimis curru WILHELMO juncta Triumphos

Perficeres Auguſta, Dearumque æmula formæ:
Quinetiam, ſiqua eſt quæ tangit cura ſepultos,
Lætantur Cineres veſtri, pompaque fruuntur.
Pergas, Rex Invicte malis; fulcire ruinam
Qui poteras olim Britonum, dextraque tueri,
Quantus eris cum nunc pacatum videris Orbem?

Wil. Piers, S. T. B. *Coll. Emman.* Soc.

INſanum Bellona nimis jam terruit Orbem,
Ipſaque vel Victrix Nympha Britanna gemit.
Adſis Diva igitur, Divûm mitiſſima, figas
Hicque tuas tandem non fugitura domos;
Adſis, & cingas, poſt tanta pericula, Lauru
Cæſareum (dignum quod tueare) Caput!
Fallor? an ingentem ducit procul ordine Pompam
Diva, triumphales ingrediturque vias?
Ipſa eſt; & ſuaves late Thus ſpargit odores,
Et calles pingunt Lilia miſta Roſis.
Innumeræ comitantur Opes ornantque Triumphos,
Gentibus & variis rapta Trophæa nitent.
Magna Deûm mater fundit nova flumina lactis,
Liber datque ſuas Ennoſigæus opes.
Audet cana Fides remeans oſtendere vultus:
Incedit pulcro Relligioque pede.
Et Phœbus meliore lyra, nova Carmina pangit,
Lœto ſe jungunt Piërideſque Choro.
Subſequitur, Choreas ducens, formoſa Voluptas,
Jactitat & totum Gratia juncta Decus.
Bacchus adeſt plena redimitus tempora vite,
Et Cereris gravidæ tardat ariſta pedes.
Jamque triumphalis, (linguiſque animiſque favete)
Quo vehitur mitis Pax Dea, currus adeſt.
Formoſam niveus Divam circumdat amictus,
Miſtaque cum lauru cingit Oliva comas.
Circumſtant currum pulcherrima Turba, puellæ:
(Pulcra quidem facies, non bona veſtis erat)
Supplicibus votis aderat glacialis Iërne;
Et miſere laceris Gallica Nympha comis;
Neptunoque patri dilecta Britannia; nec non
Belgica, cui mollis vinxit arundo caput.

Quæque

Quæque colit, fœcunda olim tua Flumina, Rhene,
Quamque lavat jam non dives arena Tagi:
His, furioſa diu nimium quas torſit Enyo,
Præbet jam lætos ipſa revincta jocos.
Pone ſubit ſævus nam vinctus brachia, Mavors,
Necquicquam frendens juncta Comeſque ſoror.
Et Rabies, Clamorque, Fames, Livorque malignus,
Atque alii, quotquot Caſtra nefanda fovent.
Magnorum claudunt Pompam longa agmina Regum,
Grande Satellitium, Præſidiumque Deæ.
Majores laudes, (Paci dilecte Jovique)
Inter quos nemo Te, GULIELME, tulit.
Iſtos namque dedit feſſis Tua dextra Triumphos,
Saturni ut redeant ſec'laque priſca facit.
Vive igitur, cognata petas & ſidera ſerus,
Ne careat tanto Terra Britanna Viro,

Gulielmus Roſe-well, A.M. Coll. Regal. Soc.

SAtis, jam ſatis Humani ſanguinis litavimus.
Tandem iracunda ponit Fulmina,
Et parcit Chriſtiani Orbis miſeriis
Clementiſſimum Numen.
Horrido procul Armorum ſtrepitu,
Ferali Tubarum clangore;
Procul infeſtis ſignis, & omni
Funeſto Belli apparatu,
Nunc dulces Pacis Honeſtiſſimæ fructus
Percipere conceditur.
Navim Britannicam ſævis Romæ ſcopulis
Tantum non afflictam,
Immani ſuperſtitionis & Tyrannidis impetu
Quaſſatam, mox frangendam,
Ceu bonus noſter è Cœlo Genius,
Repente advolans
Erexit, ſervavit, Inſtauravit
Natus ad ſacra cuncta, & jura vindicanda
Naſſovius Heros.
Sed hoc Beneficium, ut ut maximum,
Parum ſincerum reputavit,
Ni furentes minacis Galliæ fluctus reprimeret,
Et ipſa ſpe hoſtes deturbaret;

Ergo Decennalis tempeſtatis pericula
Intrepida animi conſtantia
Suſtinuit,
Et ſagaci conſilio
Eluſit,
Sic Navim in tutiſſimum Pacis portum
Felix & prudens appulit.
O Fortunati nimium Britanni!
Bona ſi veſtra æſtimare
Recte noveritis,
Qui ſimul utimini Rege tam invicto,
Et tam propitio Numine.
Et intelligunt certe longis edocti malis
Quantum gratiarum & obſequii
Deo Liberatori debetur,
Atque ſecundum Deum
Auguſtiſſimo WILHELMO.
Ecce enim ſuis aſtans in rupibus Britannia
Ardenti prece, tremuloque affectu
Regis expetit adventum!
Ecce Cæſaris affuſa genibus
Littus quaſi exoſculatur
Gratulabunda!
Haud ſecus infami olim peracto Exilio,
Poſt varia Terræ Mariſque pericula,
Ad avita ſceptra redeuntem
Suum excepit *Carolum*.
Gratus ades Princeps Sereniſſime!
O Britanniæ tuæ Gloria & Tutela!
Belgii tui Spes & Columen!
Te ſuſpicimus, Te veneramur Britanni,
Te Belgæ colunt, Te mirantur Hiſpani Germanique,
Tanquam Europæ totius Fabium & Marcellum,
Scutum & Gladium;
Quin & virtutem tuam pluſquam Regiam
Ipſa demum agnoſcit, ſtupetque Gallia.
Hæc una ſollicitudo nos nunc urget,
Quos honores tanto dignos Principe,
Quæ Encomia Virtuti tuæ
Aut officio noſtro paria
Perſolvere poſſimus.
Cunctis pii Gaudii officiis certare videntur

Civi-

Civitas, Academia, Gens universa.
Supplices & anxii uno ore precamur omnes:
Diu fœlix bonusque populo interfis Tuo,
Pacis tuæ bonis solidè fruaris,
Nec cæcis conjuratorum insidiis
Nec apertis Rebellium armis
Posthæc violandus!
Ecclesiam contra Hostes juratissimos
Pulcherrime defensam
Usque sinu tuo fovere pergas;
Adversus intestinos & male fidos Inimicos
Semper protegas
Verus Catholicæ Fidei Defensor,
Frendeant licet Romanenses, Sociniani & Omnes
Qui Ecclesiæ & Imperio pariter invident.
Summus in Bello Imperator ubique audis
Invictissime Cæsar,
Nunc placidis etiam Pacis artibus
Non minus Excellens undique specteris!
Utriusque virtutibus per universum Terrarum Orbem
Diu Clarus & Fulgens,
Nonnisi æterno Cœlestis gloriæ Diademate
Angliacum permutes!
Sero admodum Triumphanti Ecclesiæ admiscearis
Militantis Desiderium & Patronus:

Comprobet eventu Deus hæc pia Vota secundo;
Audiat has placidè Cæsar & Ipse preces!

Joh. Rayne, A. M. *Coll. Div. Joh.* Soc.

QUando tonat, regnare Jovem nos credimus; at cum
Fulmine sepositio cœlos tranquillat, inermis
Majus Numen habet. Tua nec Tibi Dia remissa est
Majestas, quamvis arcum non tendis Apollo.
Pulchrior incedis, magis & Jove digna Minerva,
Cum placide arrides crines implexa corolla
Pacifica Ambrosios, quàm quando concutis Hastam
Torva tuens, gestasque minax fera Gorgonis ora.
Divorum exemplis, Dîs Cæsar proximus, ingens
In bellis dudum, nunc Pace ingentior Heros
Fulget honore novo; spatio contenta minori

Dum ſacra Laurus paulum de fronte recedit,
Ut ſimul adſit Oliva, & Regis tempora lambat:
Hæc bene conveniunt folia, hæc in frontibus iſdem
Conſociare umbras gaudent, & juncta vireſcunt:
Illa triumphalis vera eſt, Rex Magne, corona,
Quam paribus nodis Pax & Victoria nectunt:
Nec totus ſuperat, qui replet ſanguine Campos
Hoſtili, ſed qui, quem vincat, non habet hoſtem:
Martia vis illa eſt, Equitum Peditumque catervas
Sternere clade una; ſed virtus Cæſaris armis
Pluſquam Martia ineſt, Equitum his Peditumque catervæ
Irarum immemores ſine cæde & ſanguine parent:
Pacificus Regi Deus inſidet, eminet ipſis
Pax oculis, blandam ſpirant ora aurea Pacem:
Mutuus hinc defluxit amor, veteremque refregit
Invidiam populorum, odiiſque tumentia corda
Leniit, hinc pulſa, ſtabilis Fiducia, fraude
Alteram in alterius rapuit conſortia Gentem.
Creſce oleas inter, Princeps, ſaltem hæc cape Pacis
Præmia, quam populis præſtas fruere ipſe Quiete.

Guliel. Trimnell, A. B. Coll. Regal. Soc.

ANnua quæ belli exuviis nos læta reviſit
Majeſtas, titulis nunc redit aucta novis;
Nunc victrix ſine clade redit: dum pace triumphas,
Et mundi Dominus, Cæſar, & ipſe Tui es.
Cæſare qui exieras quantum mutaris ab illo!
Anglorum exieras Rex, rediture Deus.
Tu bello Stator Imperii Geniuſque Britanni,
Arbiter Europæ cum Jove pace cluis.
Æquore diviſas jungis, Pace auſpice, Gentes;
Et ligat oppoſitas Fœderis Iſthmus aquas.
Cui vulnus tua dextra dedit, dat amica ſalutem;
Mors Gallo Auriaca eſt, & medicina, manus.
Si tanta indulta eſt clementia Cæſaris hoſti,
Gaudia, Dive, Tuis civica quanta dabis?

Johan. Le Neve, Trin. Coll. Commenſ.

ARma cano, Paciſque vices, non horrida Genti
Angliacæ, noſtræ non arma inimica quieti;

Sed

Sed quæ juſta tulit, Britonum cum primus ad oras
Appulit Auriacus Princeps fortiſſimus unus,
Relligonis amans, Libertatiſque ſuorum;
Nempe ſuos populos, fatis ſibi debita Regna
Viderat, atque oculis dudum reſpexerat ægris,
Barbarus has ſegetes, hæc culta novalia Miles
Cum ſpe præciperet tacitus, prædamque voraret,
Sanguinis Hæretici objecta ſitientior offa:
Cum jam cœpiſſent Gens olim inviſa Britannis
Sacrifici, mulierque, & non ſperatus Iulus
A partu regnare recens, & ferrea noſtris
Mox collis aptare juga, & nova vinc'la parare:
Cum noſtri haud noſtro fumarent igne Penates,
Conſciaque inſuetis gemerent altaria donis.
Ecce! autem rebus feſſis curiſque levamen
Ecce! aderat jam tum nobis, & Vindice dextra
Præſtitit incolumes noſtros araſque focoſque.
Fama quidem fuerat, quamvis obſcura, paratum
Cum Claſſe armata jamjam oris adfore noſtris
Invictum Heroem, (ſed non ita credulus illi
Rex Britonum) credenda tamen, ni læva fuiſſet
Mens, nimiumque pio jampridem cæca furore.
Audierat: factum vidit, ſtupuitque videndo,
Et ſpe dejectus fugit, Regnoque relicto,
Nos dubiæ ſorti, ſeſe commiſit iniquis
Fatis, heu! fatis ſi non melioribus Ipſe,
Conſiliis certe dignus, ſi noverat uti.
Omnia tum ruere, & retro ſublapſa referri:
Peſſima quæque ſibi, Gentique timere Senatus:
Et vile immiſſis bacchari Vulgus habenis.
Satque datum eſt turbæ, cum tandem Nobilis Heros
Egregio merito, exortique evectus honore
Leges ſancire, & populo dare Jura volenti
Cœperit, & navim tuta in ſtatione locaret
Jam laceram fractamque, & clavum pene revulſum
Arriperet ſimul ipſe, Manu regeretque potenti.
Ex illo res reſtitui, ferrique ſecundo
Flumine: diſpulſis & mox hinc inde tenebris
Affulgere ſalus, quam poſt victricibus armis
(En manifeſta Fides!) propriam dedit atque perennem.
Sed prius eſt ferro cernendum, atque alea belli
Eſt tentanda prius, nec non certamine iniquo

Contra inteſtinos pugnandum eſt fortiter hoſtes:
Nec mora longa: novos jam ſenſit Hibernia motus,
Vixque ſoluta metu, nec dum defuncta periclis
Nunc graviora ſubit, vulnuſque in vulnere paſſa
Ah! crudelem enſem materna in viſcera condi
Vidit & ingemuit.
His tantis medicina malis, GULIELME, juvabit
Quanto temporius tanto magis? Eja age velis
Remigiiſque vola, & Populo ſuccurre labanti.
Et quam pernices alas habet iſta cupido,
Non equidem laudis, magis at generoſa cupido
Servandi miſeros cives! Ecce avolat Ille!
Fulminis in morem, penetratque feritque, furitque,
Obviaque ingenti proſternit cuncta ruina.
Nequicquam Buvinda, fremis; quid littore ſurgis
Aggeſto, tumidoque ruens prolaberis alveo?
Hæccine Naſſoviæ ſat firma obſtacula famæ?
Nequicquam; perrumpet enim & velocior ibit
Illa, tuus quondam rupto velut obice rivus.
Tuque Atlona potens portas occludis ahenas
Incaſſum, & muros turritos milite comples:
Ne tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Servari te poſſe putes, cum fulminat armis
Ginclius, auſpiciis GULIELMI & numine fretus.
At vallata alti Limerici mœnia reſtant,
Et ſeſe obfirmant contra, magnoque redemptum
Si forte occiderint (tenuis quam Gloria!) ſperant;
In Rege abſenti ſpes eſt: ſed Ginclius inſtat
Talmaruſque, Cutuſque audax aſcendere muros;
Adventatque tuus, ſed cedis conſcia, Terror,
Cedis, venturum prudens prævertere fatum.
Et nunc pacatum ſeſe miratur Ierne,
Atque ſuum plauſu læto fremituque Statorem
Excipit, inque unum tota inclinata recumbit.
Aſt illi, poſtquam patriis avertit ab oris
Peſtem, cunctari vacat, & mala tædia belli
Ferre peregrini, duroſque haurire labores:
Quodque unum ſupereſt, poſt mille pericula, mortes
Mille intentatas, leges indicere pacis,
Et ſancire inter diviſas fœdera gentes.
Interea dubiis urget non ſegnior armis;
Quaque vices rerum volvunt fata atque revolvunt

Inſequitur fidens animi, per tela, per enſes,
Per mare, per terras. Teſtor vos, Flandrica caſtra,
Oſſibus albentes & pingues ſanguine campi,
Turbine quo ferrum, quanta vi torſerit haſtam:
Quaſque ſua ſtrages dextra, quæ funera ſolus
Ediderit: quantos & de victore triumphos
Rettulerit, victus numeris, aut Marte ſiniſtro.
Ipſe præit magno exemplo, nec degener agmen
Ducit & ignavum: nam quos non æmula virtus
Inſtigat, tantique accendit gloria Regis?
Teſtor, (ſi virtus, ſi forte probetur in hoſte)
Ogygios teſtor portus, quo pulſa latebat
Gallorum claſſis; claſſem ſi rite vocamus
Reliquias pugnæ miſeras, quas unda dehiſcens
Sub vaſto nondum tumularat gurgite merſas.
Quantus tum clamorque virûm, ſtridorque rudentum!
Quamque alacris pugnandi ardor nautaſque duceſque
Inceſſit! qualis tempeſtas quamque ſonora!
Ignivomi denſa ruerent cum grandine nimbi,
Et ſparſas toto jactarent æquore puppes.
Et niſi quis ratibus ſævas caſuſve Deuſve
Depulerat flammas, nunc, credo, haud ipſa maneres
Gallia, nec magni Lodoici mœnia ſtarent.
Sed nec de merita quicquam decerpere palma
Namurcum poterit, quamvis obſeſſa repente
Ceſſerit infelix, incertaque pignora pacis
Præmulerit claro, vereor ne perfida, bello:
Ceſſit capta dolo, ſed aperto Marte recepta
Accedit noſtris magnum decus addita rebus:
Egregiumque dedit ſpecimen munimine nullo
Tum poſſe obſiſti, cum Cæſar fulmina certa
Molitur dextra, & contorquet miſſile pondus,
Tormentiſque voraces infert mœnibus ignes.
Qualis tum quantuſque pavor, luctuſque ululatuſque!
Et quantus tremor ô! quamque horrida mortis imago!
Aſpicit, inſolitoque Sabis devolvitur æſtu,
Atque in vicinum violentior influit amnem;
At Moſa vix noto defixus in hoſpite, miris
Fœdatumque modis multo taboque cruentum
Et ſtupet, & proprias invitus polluit undas.
Jamque Tibi eſt tempus parcas, Lodoice, tuiſque;
Sanguinis exhauſtum ſatis eſt: En funera paſſim,

Et deſolatos agros, & civibus urbes
Orbatas, matreſque pias, viduaſque relictas!
En quam ſuppliciter triſtes, lacrymiſque decoræ,
Et ſua pacifera velatæ tempora oliva
Accurrunt, genibuſque tuis longa oſcula figunt,
Et pacem te orant! exorant omnia pacem.
Tuque Europæ Atlas, precibus, GULIELME, favebis,
Qui potes everſo ſolus ſuccurrere ſec'lo,
Et dare pacatis longùm requieſcere terris;
Sic Tibi pro magno vel pax erit ipſa triumpho.
Annuit, & totum nutu compeſcuit orbem,
Et miſit faciles æterna in fœdera gentes.
En! curru bellator equus ſuccedit ovanti,
Et, patiens nunc ipſe jugi, concordia mandit
Fræna, triumphales haud indignatus habenas.
Priſtina jam rerum facies ſeſe explicat: agros
Ipſa Ceres veſtit lætos; ſua rura colonum
Exercent, amplaque operam mercede rependunt:
Jam ſtiva eſt, quæ contus erat, jamque enſis ariſtas
Curvatus metit, & juſtos ſibi falcis honores
Scilicet affectat, præda nunc auctus opima.
Mercatorque Afros extremos viſit, & Indos;
Itque reditque viam ſpoliis Orientis onuſtus,
Nil ſibi, nil oneri metuens; nec murmura ſecum
Rodit in urbe, ſuis nec complet queſtibus aulam.
Nec pax, grata licet per ſe, incomitata triumphat:
Cana fides, caſtuſque pudor, ſacrataque jura,
Compoſitique adſunt mores, atque omnia fauſta;
Relligioque ſuis retinet quæ cætera vinc'lis.
Vos, quibus eſt curæ, mentem huc advertite Myſtæ,
Et nunc veridicum, nunc demum agnoſcite Vatem:
Ecce etenim nunc ecce lupis convênit & agnis!
Ecce jacent inter placidos armenta leones,
Innocuuſque infans ludens contrectat inermem
Aſpida & innocuam! Si fas eſt dicere, Myſtæ,
Dicite, quantillum ſupereſt de ænigmate ſacro,
Quamque prope adventat nobis memorabile tempus,
Cum novus annorum procedet, & integer ordo.
Quin age rumpe moras; nam Te, Lodoice, vocamus
In partem prædamque piam: ſocia arma geramus
In Perſas Turcaſque, & apertos numinis hoſtes,
Quotquot ubique Deo amentes Chriſtoque reſiſtunt.

Huc

Huc Te, Te, titulos qui *Chriſti nomine* adauges,
Nominis ac fidei Vindex acerrimus urget,
Et tecum hanc laudem partiri haud invidus optat.
Quodque eſt in fatis, poſt hæc pia bella peracta,
Gens toto ſurget (nec fingimus) aurea mundo;
Lætaque compos'ta miteſcent ſecula pace,
Et pede venturum tacito labentur in ævum.

Rob. Moſs, S. T. B. *C. C. C.* Soc.

ARbiter Europæ, quo nomine Terra Salumque
Agnoſcunt Dominum Te, GULIELME, ſuum,
Nos humiles animæ, Cami prope fluminis undas,
Dum veterum prompta volvimus Acta manu,
Volvimus Acta *hominum*, ſeu Græcos, ſive Latinos,
Seu legimus Faſtos, Anglia Priſca, tuos:
Tu vero Patriæ Pater Optime, Maxime Regum,
Cui toties tumidi paruit unda maris,
Dixiſti, *Fiat Pax*; & Pax reddita terris:
Non *hominis*, certe *Numinis* inſtar agis.

C. Heriott, A. M. Coll. Regal. Soc.

PHœbæa, Vates, pangite carmina:
Cives, coronas nectite laureas:
Pæana lætantis popelli
Turba canant, & Iô Triumphe!
De MARTE victo maximus, optimus
Cæſar triumphat: pande fores tuas,
Auguſta: victores jugales
Cæſar agit, volucremque currum.
En! ut catenis vinctus aheneis
Curru recumbit ſanguineo Deus!
Ut ſævit in vinc'la! ut tremendum
Clamitat, & fremit ore tetro!
Ut torva late lumina fulgurant,
Sparguntque flammas! ut tremulas manus
Tendit, reclamantique dirum
Excidium populo minatur!
Ut arma, thorax, & clypeus teres,
Caſſiſque, & haſta, & ſpicula Gnoſſia

Utrinque pendent, claſſicumque
Rauca ſonant, furiaſque belli!
PAX læta vultu ponè premit rotis,
Flavamque olivam dextera porrigit:
Effulget & gemmis, & auro
Purpureos redimita crines.
Hanc caſta VIRTUS; hanc niveis FIDES
Velata pannis; hanc fluidam comam
Promiſſa LIBERTAS, ſinuque
COPIA conſequitur feraci.
Quin pompa ocellos paſcite nobili!
En! ipſe Cæſar curribus aureis
Fertur triumphans, regioque
Pondere atrox ſonipes ſuperbit!
Fronti ſerenæ candida lenitas
Inhæret, & Regale jubar micat;
Nec Phœbus Eoo ex cubili
Fulgidior radiis reſurgit.
Ramis juventus Martia laureis
Nec indecoro pulvere ſordida
Sectatur, alterneque Regis
Facta canunt, & Io Triumphe!
Sic quum minaces igne retorſerat
Cœlo Gigantes, Dî reducem Jovem
Vidêre, victoriſque laurum
Temporibus meritam intulerunt.
Salve ſecunda digna dies nota:
PAX alma, ſalve: & tu ſoboles Deûm
WILHELME, qui cœli miniſter
Imperio regis omnia æquo!
Condat beatum quiſque diem mero;
Leni coronet pocula Maſſico;
Commiſceat Divumque votis,
Et precibus, Superis WILHELMUM.

R. Attwood, Aul. Pemb. *Alumn.*

HOC igitur ſeclo mirabilis advenit alter,
Præterito ut fuerat (famæ ſi creditur) annus:
Non debellato duplici certamine Turca;
Non Scythico inſignis tantum fuit iſte triumpho;
Neve reportatis Eoa ex Gente Trophæis

Nobi-

Nobilis eſt ſolum; Bello ſed clarior omni
Bellorum finis mirando hoc excidit anno;
Hic labor, hoc opus eſt Anglorum Cæſare dignum;
Pax una hæc ſuperat quidquid perfecit in armis
Egregius; quæ venturi ſi quando Nepotes
Diſcent, ac tanti illorum pervenerit aures
Fama Viri, vix vera putent, Heroâque fictum
Credant, & qualem antiqui cecinere Poetæ.
Affer, Phœbe, tuam laurum, dum floribus omnem
Diva Pales conſperget humum; Vos Dîque Deæque,
Ferte huc in tantum cœleſtia dona Triumphum.
Integraque ut tanto conſtet ſua Pompa diei,
Paulinas ædes Cæſar, Capitolia noſtra
Intrabit, qualis quondam victricibus Armis
Romulus, & gemini Fratres duo fulmina belli
Scipiadæ; imperii aut primus qui flexit habenas,
Sed Tibi poſthabitus, Divi cognomine, Cæſar.
Hi quoties Bello feſſi, Romana redirent
Mœnia victores; grati Dîs templa ſtruebant;
Succeſsûs ſed tanta fuit Fiducia veſtri
Ut nihil huic templo, Tua ni præſentia, deſit.
Pax, & Rex adſunt, duo maxima munera Cœli;
Et Talem Talis niſi Rex afferre valeret
Quis pacem, aut Belli talis perferre labores?
Auguſtum nunc Roma tuum; nunc objice Brutum:
Hic melior nobis Brutus, ſuper omnia dulcem
Libertatem affert, pacem præſtantior affert
Auguſtus; Patriæ verus Pater; ô mihi ſemper
Decantare Tuas detur, Digniſſime, laudes;
Aut utinam mihi Fama tuba concederet uti,
Ut tantum toto Nomen reſonaret in Orbe:
Qua currit Nilus ſepteno flumine; quave
Alluit extremos Ganges argenteus Indos,
Mirantes traherem populos; ſua Sceptra ferentes
Undique confluerent ad Te; mallentque ſubeſſe
Imperio Reges tali, quam Regna tenere.
Inſula ter felix, cui Crete invidit amœna;
Jupiter hanc olim propriam ſibi nempe dicaſſet,
Majori at Divo ſervatam noverat eſſe,
Qui Mars, Neptunus, qui Pan, qui Jupiter eſſet.
Ne tamen invideas magni Jovis Inſula, noſtro
Ipſa etiam tandem ſpectabere ſubdita Regi;

At nunquam ſperes totum Te, Creta, tenere
Poſſe Virum, quem non totus capit Orbis; at ipſum
Interea extremas celebrent Orientis ad oras
Acta, & Fama ſimul, Magnum Magnique per Orbem
Cæſaris æternent ſemper durabile Nomen.

Joh. Breval, Coll. Trin.

Reſvica.

LAudabunt alii fauces rapidi Helleſponti,
Quà multo cecidit vulnere Perſa ferox,
Qui quondam epotos numeroſo milite rivos
Hauſit, & in medium vela tetendit Athon.
Cæſaris in laudem multi cecinere Philippos,
Qua tu, Magne, dabas terga inhoneſta fugæ,
Qua Brutus mortis venturæ præſcius, & qua
Occubuit propria Caſſius ipſe manu.
Sunt quibus unum opus eſt victam celebrare Namurcam,
Et te ſpumantem, Boyna, colore novo,
Qua per confertas Gallorum plurima turmas
Torſiſti valida tela, WILHELME manu.
Reſvicam celebrare mihi concedat Apollo,
(Non certe urbs Clario dignior ulla Deo)
Reſvicam ante omnes ſtudioſam Pacis & Otî,
Plurima laurus ubi & ſerpit Oliva ferax:
Unde datur trepidanti Europæ optata quietis
Copia, & æterno Fœdere junctus amor.
Sanguinea oſtentent alii ſua Mœnia, laude
Florebunt arces pacificæ uſque nova.

Richardus Blythman Coll. *Regal. Alumnus.*

ACcipe Muſa Chelyn, (non durum poſco) canoras
Plecte manu celeri chordas: gratiſſima Divæ
Mollibus in numeris laudabis Munera Pacis.
Pax rediit miſeris mortalibus: Alma repleto
Fœcundas meſſes diffundit Copia Cornu.
Incipit Indus ebur, fulvas Pactolus arenas
Mittere, dives Arabs dare aromata, vellera Seres,
Et geminus, quicquid pretioſum continet, Axis.
Ducite de caſtris GULIELMUM, ducite Muſæ.

Heu!

Heu! nimium, Dux Magne, tuas flet Gallicus iras
Miles, & attonitus miratur ſurgere Valles
Oſſibus albentes, & euntes Sanguine rivos.
Arva inculta jacent, & amici dona Lyæi
Nemo legit: trahit inſomnes, ſine conjuge, Noctes
Frigida ſponſa thoro: Patrem deplorat ademptum
Orbus & impuber juvenis; ſed Serus ab armis
Hic fortaſſe redit, non is rediturus ab Orco:
Ah Mitis Princeps! Belli hæc incommoda tolle!
Gloria major erit quàm vincere, parcere victis.
Ducite de caſtris GULIELMUM, ducite Muſæ.
Tempora veſtra manent lauri palmæque, Coronam
Texuit & capiti Reducis Victoria junget.
Cærula nil metuas, Tibi ventus & unda ſilebunt,
Ibit & incolumis, Neptuno remige, puppis.
Innocuo cantu Siren ornabit aquoſas
Pulchra vias: Triton hilariſſimus ære movebit
Naiadas ad choreas: pandent cum plauſibus alas
Halcyones: lætus veniet dulcedine captus
Harmoniæ Delphin, & ſaltibus æquora verret.
Humidus & viridi Proteus diſpeſcet ab alga
Squammigeras pecudes, grandes ſpectare triumphos.
Ducite de caſtris GULIELMUM, ducite Muſæ.
Aurea, quæ perhibent, Saturni regna redibunt
Tecum; jam Magni GULIELMI Nomen adepta.
Tecum ſollicitæ remeabit amicus amicæ,
Et matri viſus non longo tempore Natus.
Non erit ad bellum ſævis opus amplius armis;
Nam faber in cultros haſtas mutabit; & enſes
In falces vertet, gratoque labore recudet.
Exul ad infernas ibit Diſcordia gentes,
Et ſeret in Stygiis litis mala ſemina campis.
Quinetiam, à lauro veſtra veſtriſque triumphis,
Æternæ Pacis Memorabitur Æra Britannis,
Et reget immenſum Victrix Concordia Mundum.

Johan. Boldero, A. B. *Coll. Chriſti*, Soc.

AGgredere ingentes populoſa Britannia plauſus,
Non ſolita pompa Publica Vota fremant:
En! GULIELMUS adeſt peregrinis ſoſpes ab oris,
Laurea cui nullo tincta cruore viret.

Præſtitit Hic ſalvas in ſævo Marte cohortes,
Et Pacem gratam Diis ſine cæde refert.
Et jam, compoſito poſt tanta pericula bello,
Sec'li paciferi naſcitur ordo novus.
Ite ſacri Vates, nova carmina dicite Regi,
(Auſpice quo terras Pax inopina beat.)
Piëria & læti GULIELMO nectite ſerta,
Quam dedit exornet Pacis Oliva caput.
Non gentes etenim ferro extinxiſſe vel urbes
Gloria WILHELMI, at reſtituiſſe, fuit.
Marte ſuo redimit Socios, & Regna repoſcit
Rapta ſuis Dominis, non aliena petit.
Quod carmen dignum Te, Rex GULIELME, canemus?
Debetur meritis Gratia quanta tuis?
Macte animis Heros, præſens tua Regna reviſis,
Soſpite quo tandem Gens rediviva ſumus.
Hoc volumus, vitam queis Tu, GULIELME, dediſti
Incolumem, ut Vitæ ſtamina longa trahas.

Henricus Andrews, Trin. Coll. *Commenſ.*

MArti ætas devota abiit, novus incipit ordo
Sec'lorum, novus ire tenor: clementia cœli
Europæ ærumnis finem poſitura, futuri
Te GULIELME, dedit pignuſque, omenque favoris,
Te, GULIELME, tuos cumulantem pace triumphos.
Fugit Io procul hinc, & Turcica caſtra petivit
Iram acuens geminoque minax Bellona furore.
Nos ſecura quies ac otia neſcia rumpi
Undique circumſtant, non defraudata colonos
Rura, nec abreptos deplorant Oppida cives.
Interea maris incolumes ſpatia ampla carinæ
Pervolitant, repletæ opibus, tua, Thameſis, unda
Jam vehet Auguſtam, quicquid natura remotis
Dives opum variarum induſſit Gentibus, ardens
Africa quicquid habet pretioſum ac Indus uterque;
Omnes augendis opibus curæque Nepotum
Incumbunt intenti, animos dant tempora læta
Paxque redux. Sed parva loquor, jam candida ſacros
Juſtitia attollit vultus, legumque poteſtas:
Jam rediit ſuus ingenuis honor artibus, & qui
Materiam dederat, nunc Muſis otia donat.
Vivite Britanni, veſtra eſt Fortuna peracta Vivi-

Vivite; quod potuit nemo ſperare, tulerunt
Sponte ſua Superi, ſatis eſt, neque Fata maligna
Jam querimur, tantoſve olim toleraſſe labores
Damna mari terraque & longi tædia Belli
Diſplicet; hæc tot dura dies ſatis una rependit:
Qua reduci, GULIELME, tibi Gens advolat omnis
Obvia, qua ſancti Patres Procereſque verendi
Occurrunt, gaudentque Tui pars eſſe triumphi:
At circum populus confuſa ſine ordine turba,
Officiis certant, teſtaturique profuſam
Lætitiam, magnis clamoribus Æthera rumpunt.
Intercludit iter peragranti urbeſque viaſque
Officioſus amor, vultus juvat uſque tueri
Pacificos, obtutu illo dum lumina figunt,
Actorum capiunt oblivia longa laborum.
Salve læta Dies, nova felici uſque Novembri
Gloria, nulla unquam te Faſtis eximet Ætas;
Dum fluet Oceanus rapidus Gallum inter & Anglum,
Dum Papæ Britanni indignabuntur habenas,
Et vitam optabunt pro Libertate paciſci.

J. Potenger, Coll. *Regal.* Soc.

FUlmina cum belli, cum Fœdera pacis amicæ
Arbitrio mandent Dii, GULIELME, tuo:
Caſſide pauliſper poſita gladioque, Triumphis
Ne pigeat facili mente vacare Tuis;
Immemorem & duri, pariunt quem Caſtra, laboris,
Molliter Aoniis fundere membra jugis;
Fida comes Muſis ubi Pax Æterna vireſcit,
Et nectit Domino laurea ſerta ſuo:
Alternis recreant vicibus ſic otia Phœbum;
Grataque Belligeræ creſcit Oliva Deæ:
Sic, redit à domitis audax cum Thyrſiger Indis,
Demulcet laſſum feſta Camæna Deum:
Omnis amat Muſam Victor; neque bella canentem
Faſtidit, quiſquis Bella canenda gerit:
Tuque piis numeris digniſſimus, integer almæ,
Quam præſtas aliis, munera pacis habe;
Compoſitiſque armis, in mutua Fœdera Gentes
Fortius unitas jam tueatur Amor;

Leniat hic querulos animos, hic temperet Iras,
Et figat ſtabili mollia Jura pede:
O totus reddare Tuis! grata Anglia neſcit
Dimidio poſthac poſſe carere Tui:
O longum incolumis populo moderere Volenti,
Et renuant ſolum Gaudia noſtra Regi!

Richardus Edgcumbe, Trin. Coll. Commenſalis.

QUàm nova nunc rerum facies! quàm læta videri!
Dives frugiferos ubi pandit Flandria campos,
Vel quà Germanos Celtarum dividit oris
Rhenus, quà fineſve ſuos defendit Iberus;
Non gladiis haſtiſque agros horreſcere, nec jam
Amplius inſanis ſplendeſcere cernimus armis
Mavortis famulos, quos tollit gloria, ſævum
Spirantes bellum: duræ peditumque catervæ
Atque equitum turmæ gaviſæ ſanguine fuſo
Jam poſuere minas, & triſtes cordibus iræ
Detumuere. Fugit terris Diſcordia tetra,
Cui cædes ſtrageſque & crimina noxia cordi.
Cedit item proprio contentus limite Gallus,
Gallus equis armiſque potens, animiſque ſuperbus:
Venaliſque manus, pingues Helvetica tellus
Quos tulit ingenio, ſemper pugnare paratos,
Viribus ingentes. auri non laudis avaros,
Jam patrios repetunt fines, ingloria turba.
Securi placida lætantur pace coloni,
Armorumque obliti exercent vomere terram,
Expectantque avidè Cereris fœlicia dona;
Virtutemque ſuam memorant & facta parentum,
Præteritique juvat tutos meminiſſe perić'li,
Queis ſuperare dedit facilis clementia Cœli:
Quinetiam ſolvit pro tanto munere grates
Rite Deo, caſteque facit ſua vota, ſacerdos.
Quis tamen hic lauro, multaque inſignis Oliva,
Ingreditur ſacrum cinctus caput? ora decorus?
Agnoſco, ingreditur qualis divina propago
Naſſaïdum. (Fidei Libertatiſque parentes
Naſſaïdæ) agnoſco geminum pro lumine ſidus.
Hic regit auſpiciis, populum felicibus Anglum
Naſſavius, geminæ fautor cultorque Minervæ.

Quanta

Quanta cohors, qualisque virûm, comitatur euntem!
Hæret conjunctus lateri, diademate fulgens
Sarmaticas longè terras Arctumque rigentem
Qui regit imperiis, Indis Turcisque tremendus.
Germanique duces, & quos Hispania bello
Audentes peperit, quos libera Belgia misit,
Se, Rex Magne, tibi comites junxere viarum,
Et faciles optant Euros. Ille omine dextro
Conscendit puppim signis auroque superbam,
Turritam puppim, cui lignea mœnia circum
Tormentisque tonant late, pelagoque minantur.
Carbasus intumuit ventis, gemuitque carina
Spem Britonum portans; æquor proscinditur altum.
Jam tenuere Anglas nautæ feliciter oras.
Alta descendit navi, terraque potitur
WILLHELMUS. Quam læta suum capit Insula Regem!
Undique concurrit populus, ferit Æthera clamor,
Mirantur Regemque Ducesque; & nescia vinci
Pectora concelebrant, tantisque erepta periclis.
Qualis consurgit nativo fulgidus auro
Phœbus, qui nebulasque fugat noctisque tenebras,
Lætitiamque Diemque benigno lumine spargens:
Incedit talis GULIELMUS, tristia belli
Diffugiunt, vultuque redit Pax alma sereno;
O decus Anglorum GULIELME! erit Anglia, & ingens
Gloria Brutigenûm, Duce te, rediviva resurgit
Prisca Fides, Pietasque & bellis inclyta Virtus:
Arbiter Europæ pacem das. Maximus ultro,
Nec virtute sua, clarisque potentior Armis,
Quam lingua Gallus, dextræ conjungere dextram
Ardet, amicitiamque cupit, jam Fœdere certo
Datque refertque fidem: propriam quam Gentibus esse
Omnipotens faciat, qui nutu temperat Orbem.
Tu longa populos, & Honesta pace teneto,
Vive diu, seruque tuo potiaris Olympo.

R. Grove A. M. *Coll. D. Joh.* Soc.

Ad REGEM.

ÆTernum peperit nomen tibi Bellica Virtus,
Et viget, & semper vivida Laurus erit;

GRATULATIO

Ulterius ne tende odiis: En! Gallia ſupplex
Quærit amicitiam & dejicit arma prior:
Noſtra etiam (quid enim prohibet tam vera fateri?)
Militiæ infelix Anglia ſenſit onus:
Senſit, & haud impar vel adhuc majora tuliſſet
Te poſcente, Salus publica, Gentis honos;
Sed quoniam ſtat certa Salus, illæſaque Fama,
Miteſcant animi jam, GULIELME, tui.
Olli vulgaris fama eſt, atque infima Virtus,
Quiſquis ad extremum Martis amore furit.
Hic meritò attinget ſummæ faſtigia Laudis,
Victrices potuit qui cohibere manus.

F. Browne, A. M. *Coll. Regal.*

DUM Bella triſti carmine flevimus,
Altare ſacrum pulvere ſordido
Fœdum videres, & profanum
Thurifero ſine odore fumum;
At nunc juvencam Pacis imaginem
Litabit albam Terra Britannica;
Præſtat ſolo quæ ſe feracem
Gramineo, Cereriſque fruge.
Nam præſtituto tempore Cæſari
Magnas dederunt pectore maximo
Laxare curas, en! benigna
Numina, propitiumque Cœlum.
Deſiſtit atrox Miles ab impetu,
Suſpenſa cernunt Arma domeſtica
Lares, & illic detinebunt,
Dum requieverit omnis Ætas.
Solare tanquam poſt tonitru jubar,
Pacem reportans palmifera Manu
Rex nos reviſit, Victor ingens
Qui attonitum quatiebat Orbem.
Nos non inani credidimus fide,
Vixiſſe Divam pectore Conjugem,
Quæ mulſit Iras æſtuantes
Heu! nimium, GULIELME, veſtras:
Maria noſtræ præſidet Inſulæ,
Maria Regem protegit Angliæ

Dextra

Dextra ſalutari à peric'lis
Incolumem, populumque fidum.

Gulielmus Byatt, Coll. *Regin.* A. B.

HActenus ambiguo luctata Britannia fato,
Senſerat alternis ſpemque, metumque, pares;
Libera jam vires in gaudia colligit omnes,
Par ſibi, mox etiam ſe quoque major erit.
Quæ nuper Martis nimium diſtenta labore,
Imbelli pridem Pace remiſſa fuit:
Poſt bellum jam pace viget, damniſque remotis,
Et belli, & pacis commoda læta capit.
Quis Deus hæc nobis, hæc Otia ſplendida fecit?
(Aut Deus, aut multò non minor ille Deo)
Quis niſi qui ſummus ſumptis WILHELMUS in armis
Et fuit, & poſitis nunc quoque ſummus erit.
Hic, poſtquam ſolio fuerat, Regnoque potitus,
Et populi votis, promeritoque ſuo;
Regalem refugit luxum, dulcemque quietem,
Ut Delon noſtram ſede locet ſtabili.
Nos nimia Herois virtus contriſtat, amorque;
Hinc deſiderium percutit, inde timor.
Fortis es, O nimium fortis, GULIELME, timeſque
Plus æquo nobis, Marte, parumque Tibi.
O quoties tacitè tanquam ventura canentes,
(Quæ ventura tamen dicere grande nefas)
Subveriti fuimus, ſors ne quando improba filum
Illius, & noſtrum rumperet una duo;
Dum belli, atque domi pariter, terraque, marique,
Intrepido quidvis ſuſcipit ille animo;
Immemores, ducente Deo, per tela, per hoſtes,
Occultoſque dolos, huic patuiſſe viam:
Quod Gentes, & Regna brevi ruitura labarent,
Magnaque pars ſubitam poſceret orbis opem.
His ille auſpiciis conatur in ardua niti,
Ingrediturque viam, qua præîêre Patres.
Nec jam miramur, ſi fors fatumque pepercit,
Parcere cui voluit, qui regit iſta, Deus,
Salve igitur quantuſque, & qualiſcunque voceris,
Noſque, Deoſque inter neſcio quis medius.

GRATULATIO

Auſpice Te gaudent, peperit quos Auſtria, Reges,
Alter & Imperium vindicat, alter opes.
Te Belgæ, Te nos Cuſtodem agnoſcimus, ambo
Paſſuri ſine te turpe jugum pariter.
Quin & Te Lodoix ſibi jam lætatur amico,
Talia nec piguit Fœdera magno emere.
Tu vero armorum, poſitaque cupidine pugnæ,
Acris militiæ præmia digna refer.
Indulge te jam nobis, placidæque quieti,
Incipe jam populo proprius eſſe tuo.

W. Wilſon Coll. Regal. Soc.

SAnguineo furibunda diu Bellona flagello
Sæviit, albeſcunt diſperſis undique campi
Oſſibus, impulſi remis roſtriſque tumeſcunt,
Et recalent multo rubicundi ſanguine fluctus.
Sat bellis iræque datum, ſat funera mœſti
Vidimus, ingentes & deſolavimus agros.
Venit læta dies, Europæ optabile tempus
Venit, Io, & ſec'lo lætantur cuncta futuro.
Veniſti tandem, tua nobis ora tueri
Nunc iterum, GULIELME, datur; Te, maxime Regum,
Accipit hæc quantis jactatum terra peric'lis!
Qui, toties cinctus viridanti tempora lauro,
Angliacas olim rediiſti victor ad oras,
Paciferam tandem dextra prætendis Olivam.
Haud aliter (cum jam miſſis Antonius armis
Niliacæ fugiens ſequeretur vela maritæ)
Advenit Auguſtus victricis mœnia Romæ.
Lætitia, ludiſque viæ, plauſuque reſultant,
Aſpera ſedatis miteſcunt ſecula bellis,
Et Pax ſecurum late circumvolat orbem.
Salve, ô Rex, ſalve decus & tutela Britanni
Nominis, & ſævo caput inſuperabile bello;
Heu! quoties audax in aperta pericula corpus
Miſiſti, ah! nimium tam caræ, prodige, vitæ!
Heu! quoties turmis hoſtilibus undique cinctus
Expiraviſſes, niſi Te manifeſta Deorum
Servaſſet cura, & fato revocaſſet ab ipſo:
Haud ſecus, Æneæ dum ferreus ingruit imber,
Dum galea aſſiduo ſtrepitat cava tempora circum

Tinni-

Tinnitu, & crebris non ſufficit ictibus umbo;
Detorquet miſſas genitrix Cytherêa ſagittas.
Nil, GULIELME, times, ſtridentes undique glandes
Cum volitant, crebriſque abrumpitur ignibus æther,
Et tormentorum Cœlum tonat omne fragore.
Quid non Anglorum tali ſub Principe virtus
Efficiet? non Te quicquam, Lodovice, timemus,
Aut Gallos, Rex Magne, tuos; ſpectantibus ipſis,
Disjecit miſeræ GULIELMUS rupta Namurci
Mœnia, Gallorum turmaſque & corda triumphans.
Sic cum Tydides, & Lariſſæus Achilles
Trojam oppugnabant, debacchabatur arena
Pallas in Iliaca, atque ipſo Mavorte vidente
Funditus evertit turritæ mœnia Trojæ.
Sic, ſic bella geris; percuſſo fœdere, tantis
Non opus eſt iterum caput objectare peric'lis;
Poſthac implebis reliquos feliciter annos,
Et placida tutò compôſtus pace quieſces.
Nunc omnes ramis velati Palladis Angli
Horrenda in validos convertent tela ligones,
Et ſolùm accipient fœcundæ vulnera terræ.
Non matres poſthac, puerique parentibus orbi,
Crinibus evulſis lugebunt fata ſuorum.
Nos etiam, nullos edit cum buccina cantus,
Et fera depoſita miteſcit Gorgone Pallas,
Nos, aliam doctæ colimus qui Palladis artem,
Optime Rex, ſemper Teque, & tua facta canentes,
Otia ſecuræ peragemus mollia vitæ.

Johan. Howlett, Coll. Trin. *Alumn.*

QUÆ modo fulmineum vibrabat dextera ferrum
Victrix, nunc placida ſecula Pace beat.
Nomine præclaro decorarunt arma Quirinum,
Et poſt hunc, Jani limina clauſa Numam:
Pace ſimul belloque prior WILHELMIUS; ætas
Cui nec priſca dedit, nec dabit ulla parem.

Jo. Jaggard, S. T. B. *C. C. C.* Soc.

GRATULATIO

INſperata ſalus! defeſſis optima rerum
Veniſti? tecumque iterum clementior hora?
Veniſti? nec jam belli depaſcitur orbem
Sacra Fames? nec diſcordes Europa tumultus
Ulterius ſentit? Populi coiêre? Ducumque
Alter in alterius conſpirat amicus Honorem?
Sic Superis viſum eſt, tandem deſæviit ardor
Bellantûm, & nimiæ ſubſidunt leniter iræ;
Excuſſa eſt Bellona animis, Martemque frementem
Fœdera mille tenent conſtrictum, mille catenæ.
Mutata en rerum facies! ſeſe exuit alto
Europe luctu, ſe Pacis amabile Numen
Et comites Divas ſecuris gentibus infert.
Unda ſilet, florent urbes, requieque ſub alma
Rura jacent: læto ſubrident omnia vultu.
Te quoque, Magna Parens Regina Britannia, Ponti
Te manet Imperium, ſibi fert Thetis omnibus undis
Dona; regit Claſſes Nereus, ſponte influit aurum,
Sponte ſequuntur opes Orientis, & India tota.
O Patria! O Divûm ſedes! quam Gallia dignam
Digna petit ſociam! cujus Naſſovius ipſe
Succeſſit Regnis, pondus grave viribus æquans!
Ne Divos majora petas, ne plura; dederunt
Omnia in Auriaco, quem nec ſubmerſit iniquis
Sors adverſa malis, nec res fregere ſecundæ.
Euge invicte Heros! qualem te vidimus armis
Gallorum obniti? qualem te vidimus aras
Tutari Angliadum? qualem te Regius Hoſpes
Miratur Pacem poſt tanta reducere bella?
Nil tantis certe dignum reſpondeat auſis:
At tua gens ſolvet grates; at ſplendida luxu
Regali, & pluſquam ſolennis prodiga Pompæ
Excipiet cupidis ulnis gremioque nitenti
Divum *Auguſta* ſuum. Sic ſuſpexêre Parentes
Invectum *Carolum*! ſic tum venerabilis Ordo
Proceſſit, tali ſplendebant omnia cultu,
Actiacis Cæſar rediit non tantus ab oris.
Inter, Io, veteres lauros, quas prima juventa
Præripuit, quibus ipſa tibi cunabula florent,
Creſcet mitis Oliva, ſuoſque innectet honores.
Inter, Io, procerum turmas & gaudia vulgi
Incedes grandis titulis, patienſque vocari

Euro-

Europæ & Batavûm Cuſtos, orbiſque Britanni.
Inter, Io, Britonum Patres gentemque togatam,
Majores, quàm quos fecerunt bella, triumphos
Major ages: etenim ſemet Fortuna fatetur
Herois, quem non potuit devincere, ſervam;
Quoque magis ſpernis ſublimi pectore laudum
Præmia, ſpernentem tanto magis inſtat amare,
Acrior, invitumque jubet ſuccedere Olympo.

Tho. Wood, Coll. Regal. *Alumn.*

JUlius inſignes egit, meruitque triumphos,
Victrici laurûs fronde ſuperbus ovans;
Infelix placida cives compeſcere Pace,
Palladis & capiti nectere ſerta ſuo.
Auguſtus Janum vinc'lis incluſit ahenis,
Alma, tua cinctus fronde, Minerva, comas,
Sed Julî palmas, Julî victricia ſerta
Nequicquam optanti Parca maligna negat.
WILHELMUS palmas geſtat, WILHELMUS olivam,
Gloria Militiæ, Gloria læta Togæ.
Quas dederit bello ſtrages, quos fuderit hoſtes,
Teſtis eris, Lodoix, Tuque, Tuique Duces:
Quam felix placida Gentes conjungere Pace,
Anglia, quæ ſentis commoda, Teſtis eris:
Quid licet auſpiciis, proh Dii, ſperare ſub iſtis!
Effulgens tolles Anglia, quale Caput!
Ah ne dum Lodoix, dum ſupplex orbis Amicus,
Ne converte tuas in tua fata manus.

Guil. Bunbury Aul. *Cath. Alumn.*

CUM ſit ſupra alias Res optatiſſima terris
Pax hominum, plus grata tamen, quia ſera reverſa eſt,
Et cum tam ſtabili fuerit fundamine fixa,
Compenſat manſura moras, quas traximus Armis,
Præſidiumque dabit longo poſt Tempore natis.
Ut, ſi grande aliquid ſerum durare per ævum
Deſignetur Opus, multos formatur in Annos,
Donec idem immota compage cohæreat unà,
Tum ſtant perpetua egregii monumenta Laboris,
Authoris Decus æternum, columenque Nepotum.

GRATULATIO

Illud opus nono, GULIELME, peregeris anno
Viribus Anglorum junctus, quod, Teſtibus ipſis
Hoſtibus, exſuperat noſtri clariſſima ſec'li
Facta Ducum, & priſcis mox poſtera præferet Ætas,
Hoc potuit fieri à nullo niſi Milite noſtro
Sub Duce Te, Princeps, quem ſacro à Sanguine Regum
Gens pariens Auguſta, animoſque ex traduce ductos
Ingentes miſcens, dignum Diademate finxit,
Et meritum factis qui famam terminet aſtris.
Auſpiciis tantis atque his Natalibus ortus
Propitius Terris, ſolio Sceptriſque carere
Non poteras, lapſis aut non ſuccurrere Rebus.
Belgia ſæpe Tuis patribus, Tibi debuit Orbis
Bis ſibi ſervatam cum Libertate ſalutem.
Quam dederis, Gentes aliæ jam pace fruantur
Securæ, nos Te præſenti, maxime Princeps,
Quem colimus requie potiorem omnique Triumpho.
O ſi quando, Tuis nunc felix Anglia fatis,
Cum Te pace regit, qui Bello maximus audit!
Omnibus inſurget mox aucta Britannia Regnis,
Divitiis plena & pollens Virtute virorum.
Regis ab exemplo veniet ſine luxibus uſus
Juſtus opum: Genti Decus & Tutamen utrumque.
Conſpirant Tibi cuncta, Deos petiiſſe volentes
Nil poteras melius, nil Dii concedere majus,
Ni modo quæ felix, ut ſit fortuna perennis.
Invida majori jam cedas Gallia Genti,
Quæ Te ſæpe olim ſuperans, & vincere docta
Succeſſu, Genium antiquum cum Cæſare ſumpſit,
Et regit Europam Arbitriis ac Jura reponit.
Gallia vicinis Juga fruſtra imponere Terris
Æmula tentabis, dum Gens ſit libera noſtra:
Orbis ad Imperium fruſtra Ludovicus anhelat,
Dum ſuperes terris, major GULIELME, Britannis.

Edvardus Bellamy Trin. Coll. *Commenſal.*

Ad Amicum, ODE.

EST mihi Nonum ſuperantis annum
Plenus Albani cadus, & Falerni;
Cæcubum vincit, ſapit & Calenis
Mitiùs uvis,

Quale

Quale nil teſta repetens avita,
Ore delibat niveo Belinda,
Cara permultis, mihi præter omnes
Cara Belinda,
Quale noſtræ olim vetus hoſpes oræ
Gallus huc vexit ratibus ſecundis,
Pace dum terra hæc viguit; vigetque
Te duce, Cæſar;
Quale mox Anglis dabitur bibendum,
Sanguinis teſtis ſuper hoſte fuſi,
Hoſte? Muſa, abſit! coeunt amico
Fœdere Galli,
Et ſcyphis tantùm, neque ſicca miſcent
Bella; ſic quærunt melius perire,
Dum mero Boïni ſimulantur undæ, &
Caſtra Namurci;
Jure deſcendet cadus hic, perennem
Qui notam geſtat, memorem Diei
Quum novus regno Auriacus ruenti
Surgeret Atlas;
Ridet argento domus, ara multo
Thure jam fumat, citharæ parantur,
Et fides gratæ, meditatur altum
Tibia carmen,
Ut tamen nôris quibus advoceris
Gaudiis; Nonæ redeunt Novembres,
Belgicis & jam repetit Senatum
Cæſar ab oris,
Præliis audax animæque magnæ
Prodigus Cæſar, placidæ ſed idem
Arbiter pacis, caput & decora
Cinctus oliva;
Gaudet abjectis Lodoicus armis
Dona jam Regi properare noſtro,
Gaudet & ſancto ſociaſſe Gentes
Fœdere Cæſar,
Fortis hic noſtri Moderator Orbis
Jura dat lætus populo Britannûm,
Magnus, & tantùm minor ille, Cæſar
Gallicus audit;
Tu ſcyphos centum, reduci WILHELMO,
Cæſari centum bibe Fœderato,

Miſta conjunctis reboent culullis
Nomina Regum,
Jam tibi centum cyathos, WILHELME,
Et tibi centum, Lodoice, ſumam,
Uſque ſic current hilarem redacta
Pocula in Orbem;
Mitte civiles ſuper Urbe curas,
Occidit fuſum Mahumedis agmen,
Ipſe Sultanus fugit & Sabaudi
Signa Gradivi,
Non furit primis Catinattus armis,
Enſe nec rumpunt medias phalanges
Cutus, Erluſque, heu! metuenda ſævo
Nomina bello!
De tholis pendent laqueata circum
Arma, nec poſcunt Dominos priores;
Cæſari Mavors, poſitiſque flagris
Cedit Enyo:
I puer, lætas propera Coronas,
Et ſcyphos Pacis memores peractæ,
Jam patri Baccho libeat feroces
Solvere tigres,
Orgiis adſis metuende thyrſo
Liber; Edonis ego non cruentis
Sanius bacchor; furere eſt WILHELMO
Dulce recepto.

B. Wyllys, A. B. Coll. Regal. Soc.

UT laſſis requies, libertas vincula paſſis,
Utque ſalus ægris charior eſſe ſolet:
Utque diu optatus Sol gratior emicat orbi,
Utque fame enectis copia grata venit:
Sic pax Europæ poſt tot certamina Martis:
Quæ tibi pro tanto munere dona damus
O GULIELME? tuis non reſpondere Triumphi,
Non ſtatuæ meritis, nulla Trophæa queunt.
Omnia *Vive diu* reſonant, gratiſſima Pax eſt,
Ipſa pace tamen gratior Ipſe redis.

Rich. Munden, Aul. *Trin. Commenſal.*

POST reſides annos longo velut excita ſomno,
Pacavit trepidum felix concordia mundum;
Sternitur ut molli porrectus marmore pontus,
Donec per luces Hyberno tempore ſeptem,
Educat Halcyone pendentes æquore pullos.
Gaudia feſtivo celebrato Britannia plauſu;
Exoptata diu votis, Pax candida venit,
Venit, habes tandem toties quod mente petiſti
Anglia, non dubiis ultrà torquebere votis.
Jam Muſæ rediere novæ, jam Delphica rupes
Panditur, & reducis revireſcit gloria Phœbi;
Gaudia feſtivo celebrato Britannia plauſu;
Calliope Tibi ſe, Tibi ſe, GULIELME, Camænæ
Exornant, Tibi ſerta parant; formidine Martis
Mutum, nunc ſolitis celebrant Helicona Choreis.
Ne pudeat longos interrupiſſe labores
Rex dilecte Deo, noſtræ fidiſſime gentis
Cuſtos, cui non eſt animi minus, aut minor ardor
Quàm Phrygio Grajove Duci; cum poſtulat arma
Relligio labefacta, tui tutelave regni;
At nunc compoſitos placida rege Pace Britannos,
Et quas tartareis traxiſti è faucibus Urbes,
Et tot communi populos ſub morte jacentes.
Gaudia feſtivo celebrato Britannia plauſu;
Nunc geminas junxit felix concordia gentes;
Mollia flebilibus ſuccedunt otia bellis.
Vivite felices optato fœdere junctæ,
Inque feros belli clades convertite Turcas.

Richardus Skikelthorp, Coll. Jeſ. *Alumn.*

QUalis, ab excelſo cum deturbaſſet Olympo,
Titanaſque ſuæ reſtituiſſet humo,
Jupiter, in cœlos greſſu incedebat ovanti,
Dîs procul ire minas, atque peric'la jubens.
Talis tu Batavis, WILHELME, reverteris oris;
Victor, & optata ſecula Pace beas.
Veſtrum igitur laudate Jovem, illi ſolvite grates
Cœlicolæ, nobis Jupiter alter adeſt:
Cœlo Hic, tu terris regnas, WILHELME, reſervans
Præmia, ut ille, Bonis, fulmina, ut ille, Malis.

Abraham Yarner, Coll. Regin. *Commenſal.*

GRATULATIO

BEllis Indomito Marte ferocior,
Unus Militiæ Gloria; Palladis
Unus cura; Tui ſpes Populi, & ſalus;
Pacem quam retulit, quam tua dextera
Nobis ſola dedit, nec daret altera,
Serves, ö Utinam! Dux Bone Patriæ.
Unum quod potuit, reddere Gratias,
Quas tantis meritis Nemo poteſt pares,
Unum quod potuit, reddere Gratias
Gaudet jam Populus; tam Populus, Minor
Te, WILHELME, licèt non aliis Minor,
Quantò, Rex, fueris Tu Prior Omnibus.

Johan. Horſnell, S. T. B. *Coll. Regal.* è ſen. Soc.

ANglia quam blandus placidis complexibus ambit
Nereus, & toti divulſam ſeparat Orbi,
Feſtivos dudum tanto ſub Principe vultus
Erigit, & ſecura Sui jam deſinit atros
Ducere mæſta dies, nec quæſtibus ægra fatigat
Divos, quin Bellis tandem nebuliſque remotis
Candida perpetuum promittunt ſecula Solem.
Iſte labor noſtro jamdudum debitus Orbi
Debitus Europæ, ut poſt tot diſcrimina belli,
Poſt tot contuſas felici Marte cohortes
Franciadum, miti, Princeps, redimitus Oliva
Tempora, ad Angliacos Victor veherêre Penates.
Naſſovio felix almam Germania pacem
Debet, dumque ſuas repetit vetus Auſtria palmas,
Aſſurgit Tamiſi Rhenus, gratuſque Sabrinam
Suſpicit Amiſius longe, raptuſque Trophæis
Celtiacis, propriis hæret Catalaunus in Oris,
Et patriæ trepido terræ firmantur Ibero.
Tum ſolium nutaſſe ferunt, ſimilemque cadenti
Incertam Odryſii ſedem tremuiſſe Tyranni.
Biſtonas inſolitus tremor occupat, accipit omen
Eugenius, veteresque Aquilis ultricibus iras
Exercens, tumidum complevit cædibus Iſtrum,
Innumeroſque vago disjecit flumine truncos.
Scilicet iſta tuis debentur Laudibus, ingens
Arbiter Europæ, Magni digniſſima Patris
Progenies, Tibi Celta minas, & Gallia faſtum

Ponit,

Ponit, & ad lenem miteſcit Sequana Scaldim,
Jam Rhodano ſociatus Iber, nec Gaudia Belga
Diſſimulat, quin ipſe Pater tua nomina pronus
Saxonicos Camus latè diffundit in agros.
At Tu, ſeu Magno renovas convivia Moſcho,
Quà Fortuna ſacris frontem velata corollis,
Deſtinat Occidui Tibimet moderamina Mundi,
Quà Batavus, Germanus, Iber, quà ſupplice Gallus
Voce triumphantem lætans agnoſcit amicum,
Inſpicit attonitus tantum Novus advena Regem:
Seu potius noſtras repetis felicibus Euris
Oras, quamprimum cupidis Te redde Britannis.
Læta, precor, faciles veniant ad carbaſa Venti.
Sors nihil hîc, nihil hîc voluit Fortuna licere
Ipſa ſibi, dubii Domina imperioſa Profundi.
Nempe Deum tangit Regum Reverentia, dirum
Ille Tibi Boream validis Auſtrumque catenis
Stringet, & indomitos frænabit carcere Cauros.
Ut Tibi colludunt tremulis Nereïdes Undis
Nympharum laſciva cohors! quo gurgite, monſtrant,
Disjectæ periêre rates, quanto impete Celtas
Urgebat Ruſſellus ovans, dum Gallia rauco
Fluctu *Borbonium* miratur ſtridere *Solem*.
Spectantes avidi, Princeps, Tua vela Britanni
Cernimus optatas longe adventare carinas,
Jam timidis Anglis ſalvo cum Principe reddis
Depoſitum, Neptune, tuum: Tuque omine dextro
Naſſovium læto, Tamiſis Pater, excipis alvêo.
Quanta per undantes lætantûm murmura Turmas!
Plaudentûm quanti ſonitus! dum ſplendida Mitra,
Dum Proceres, Camique ſimul, ſimul Iſidos undæ,
Dum ſacra incedens lætis Eccleſia Vittis
Gratantur Magno reducem cum Principe pacem.
Tu vero poſitis diſcas miteſcere Bellis,
Et ſtudiis aſſueſce Togæ, Auguſtiſſime Regum.
Utraque Te nôrit Pallas, certamen utrique
Quum fueris, noſtrum firmabis Legibus Orbem,
Defendes Armis, dum pulchri exemplar Honeſti
Illuſtri reliquis præis Virtute Britannis.
Otiaque, ô Princeps, Tibi maxima cura beatis
Quæ peperiſſe fuit, ſit conſervare Camænis.

Joh. Lloyd, A. B. *Coll. Div. Joh.*

GRATULATIO

DIsjunctis Batavûm Cæſar rediturus ab oris,
Phœbææ cinctus frondis honore caput,
Otia jam, Pacemque procul diſcordibus armis
Præmiſit, longæ præmia militiæ:
Magna quidem hæc; poſthac quanto majora daturus,
Cum, qui abſens dederit talia, Cæſar adeſt?

Leonardus Pinckney, Aul. Clar. *Commenſ.*

HActenus iratum fremuit mare, parque per omnes
Bellica tempeſtas etiam Victoribus atra
Incubuit; nobiſque ferens, populoque futuro
Dira minans, longo dum fervere tempore fluctus
Flevimus undantes, ſurgentibus undique ventis,
Nec mora, nec requies; aſt annua Turbine multo
Unda redux novies dubiam laſſare Carinam
Cœpit agens hyemem; ſubito cum ſtrata quiêrunt
Æquora, nec decimi tulimus diſpendia fluctûs;
Placato ergo iterum Cœlo pax deſuper orta,
Ipſa, prout Cœlum, totum complectitur Orbem.
Salve candida Pax, quo reddita Numine tandem
Inſperata venis? neque enim ſine Numine credo
A triſti ſumpſiſſe Chao primordia Mundum,
Vel nunc à parili requiem ſumpſiſſe Tumultu.
Fallor? an eſt Mundi ſpecies renovata recentis
Fallor? an ignota ſaliunt præcordia vita
Omnibus, egregium Pacis mirantibus Orbem?
Nec Paradiſus abeſt, terras diffuſus in omnes,
Nec ſecura Quies, largo nec Copia cornu.
Dii lapſum prohibete novum; vel ſi invida tanto
Parca bono obſtiterit, propria hæc ne dona ſuperſint;
Te tamen, in medio ceu quondam infloruit horto
Intemerata Arbos, Te terra Britanna, quietam
Per caſus omnes gladio flammante miniſter,
Expediat Chorus Angelicus, fugiaſque nefandos
Martis inexpleti morſus, Lethumque futurum.
Sat Marti dedimus, poſuiſti, Patria, Bellum,
Cui Comites turpe Excidium, triſtiſque Triumphus.
Aſpice *venturo* lætentur ut omnia Sec'lo,
Aſpice ut *hoc* etiam longis infame procellis,
Peneque jam lapſum ſupremo in limine felix
Exitus abſolvat, dum tandem Pace perenni
Eluitur vetus, adque novum proluditur Ævum.

G. Jeffreys Coll. *Trin. Alumnus.*

Pax

Pax Sueco Sequestro Europæ restituta.

ANgliadum Pax deserta terraque, fretoque,
(Turbarunt requiem bella propinqua Deæ:
Conducenda & alenda acies, aptandaque classis
Abstulerant, queîs se jam decoraret, opes)
Hinc depulsa, alias frustra tentaverat urbes,
Et terra questa, & prælia facta mari:
Pulchras scissa comas, hominum vexata furore,
His tandem Suecos vocibus alloquitur.
Gens, quæ sola ferè coluisti Numina nostra,
(Nec te jam cultûs pœnituisse putem)
Aspicis, ut misere lacerat Mars impius Orbem,
Ira agitat Furiis & violenta suis!
Aræ diræ illis maduerunt sanguine fuso,
Dum non placandis victima multa cadit:
Quin tu cultores crudelia Numina suades
Linquere, neve ultra cæde piare focos?
Hortare, ut mea restituant Altaria lapsa,
Neglecta & cingant tempore fronde nova:
Id vero caveas, ne quis male sedulus optet
Me vinclis turpem, aut labe, referre domum:
Nam caream potius structis altaribus, ornet
Nulla corona comas, & vager exul inops;
Quam redeam infamis: sin, ut decet, Ipsa reducas,
Nec labes notet, aut vincla inhonesta premant:
Dum te finitimus Martis circumsonat horror,
Turbatoque jacent ordine Jura sacra:
Hîc leges, artesque bonæ, moresque modesti,
Et quicquid pulchrum est, quicquid honestum, habitent.
Tu modo, quisquam ausit si posthac, Fœdere rupto,
Injusta audaci Bella movere manu:
Vindex æqua adsis, & læsa ulciscere jura,
Ut discat melius me colere, atque Fidem.
Dixit: nec venti rapuerunt irrita verba,
Pax Sueci auspiciis non inhonesta redît.

B. Clarke Coll. Regal. *Alumnus.*

POST mille emensos terraque marique labores,
Post domitos hostes, socioque in Fœdera missos,
Te, GULIELME, tuis reducem gratatur, & ore

Sic tandem alloquitur tua Te Brittannia læto.
Vere Pater patriæ, qua Te pietate colendum
Suſpicio? qui me de Libertate timentem
Auſus es eripere à fato, legeſque revulſas,
Vindice Te dignas, antiqua in Sede locare.
Nec ruere Imperium pelagi, neque Regna veterno
Paſſus es ignavo torpere, ſed arva tueri
Patria juſſiſti natos. Hinc Te duce, virtus
Bellica primævi qualem coluere Britanni
Reſtaurata meæ proli, quæ, Te Auſpice, credit
Heroas proavos inter ſibi nomen habendum.
At non triſtis amor Belli neque dira cupido
Cædis & Armorum tantum tua pectora tangit
Quantum cura mei; ſed enim ſæva arma capeſſis
Ut pacem diſcant moniti, qui Bella movere
Auderent, pacem docti tua Fœdera poſcant.
At mihi felici ſec'lorum naſcitur Ordo
Aureus, & placidi incipiunt procedere menſes.
Hinc etenim nomenque meum famamque per Orbem
Te ſub Rege feram tali, qui non modò bello
Externos arcere meis à finibus hoſtes,
Tranquilla ſed Pace potes compeſcere cives.
Meque adeo viſuri aderunt, Tua geſta ſtupentes
Ignoti quondam populi, & ſe denique dicent
Tum fore felices demum, cum ſub juga mitti
Talia contigerit. Jam non Saturnia regna
Laudabunt vates, Tua ſed, GULIELME, minores
Tempora mira canent, normam moderaminis æqui
Principibus poſitam; dignos ſi fata poëtas
Concedant, celebrare tuas qui carmine poſſint
Æterno laudes meritas, æquumque docere
Imperium ſero geſturos Sceptra Nepotes.

J. Leng A.M. Aul. Cath. Soc.

QUÆ per ter trinos obnixa eſt fortiter Annos
Æacidæ telis, Æolidæque dolis,
Vis Priami decimo ſuccumbit victa Pelaſgis,
Prædaque Grajugenis Martia Troja fuit:
Per nonam Æſtatem noſtrum quoque Gallia Achillem
Suſtinuit, fortes Myrmidonumque manus,

Horruit

Horruit at decimam, cladis præſaga futuræ,
Armorum & metuens fulmina, Fœdus init.

G. Sutton, C. C. C.

ECquis ad Auriacas Æneida conſecrat Aras,
Cæſareum Patriis Heroa & vindicat Aſtris?
Quandoquidem expulſis ſolus tulit Ille Camænis
Otia, ſopitas ſtimulatque in Carmina vires,
Carminis Ipſe Decus: quo late rura renident
Auſpice, qui revocat Soles, gentique Britannûm
Indulget placido labentia ſec'la tenore.
Non etenim armorum circumſonus amplius horror
Ingruit, aut peſtem propius furialis Enyo
Spargit; at extorris noſtri de Cardine mundi
Intonat Odryſiis duplicato turbine Lunis.
Heu! ſatis afflictas laniato viſcere gentes
Vidimus Europæ attoniti, ſatis arma cruore
Ebria, ferali nimium dum ſidere torrens
Sirius incubuit, Gladioque accinctus Orion.
At quanquam nec adhuc crudis obducta cicatrix
Vulneribus, pulchroque Duces ſudore fluentes
Ipſa à cæde rubent; cæſum licet Hectora plangens
Quæque ſuum viduata, & paſſis uda capillis
Andromache libarit inania dona ſepulchris;
Hæc ſaltem innocuas Veneres, plauſuſque, triumphoſque
Exigit alma Dies; Hæc lætos conſecret annos
Auſpiciis, ſeroſque beet reditura Nepotes.
Quare agite, ô Socii: jam ſoſpite Nympha marito
Exonerat Superos, precibus non aſtra fatigans
Jam ſua; ſed voti compos, ſua Gaudia molli
Excipit in gremio reducem, galeamque reſolvens
Horrentem, & mixtas cum ſanguine pulveris atras
Abſtergens ſordes, hæc inter, dulcia libat
Oſcula ſubridens, tacitoſque inſtillat amores.
Funera tum primum, ſtrageſque retexere gaudet,
Et primum tum bella juvant, dum ſedula quærit
Multa ſuper WILHELMO, & quali turbine Gallos
Urgeret, dextraque feras contunderet iras.
At pavet, & ſoſpes licet, omni in funere pallens
Labitur, & fidis vix ah! vix credit ocellis.
Hos tamen, ô Superi, nunquam, niſi Cæſare ſalvo,

Auſa foret ſperare Dies: ſtetit Anglia belli
Eventu ſuſpenſa diu, nec certa futuri,
Cui Decus, & Columen pendebant ſimplice Filo.
O nimium impatiens, nimiumque ô prodige Vitæ,
Cui ſolum metuêre Tui! Te Boinus anhelum
Perque undas, flammaſque & Fati nuncia tela
Irruere aſpiciens rubuit, dum corpora ſummis
Hæc pendent undis, aviduſque hæc ſorbet hiatus.
At dum cæde Ducum fœdata maderet opima,
Nec jam plebeios ageret Libitina triumphos;
Ipſa Tuæ obſtupuit rutilanti Frontis honore,
Atque ſatis duxit Sacrum libaſſe cruorem.
Sed Tibi majus Opus, majora pericula, Cæſar,
Impendent Moſæ ad ripas: Te proripis ardens,
Oblitus Patriæque, Tuique, repagula rumpens,
Quamvis Fata viam obſideant, & fulmina; belli
Ipſe etiam Tu Fulmen eras, Tibi ſidere circum
Innocuo lambens Flamma ambitioſa capillos
Luſit, & Imperii dedit Omina certa futuri.
Diſcite jam tandem, Cives, poſt funera mille,
Mille vices, ſacrumque caput furialibus armis
Cæſaris objectum; quanti iſthæc Gaudia vobis
Conſtiterint, ſola quibus inviolanda paratur
Hac mercede ſalus: tamen ô repetenda fuiſſent
Hæc Mala, vel Miſeros iterum juvat eſſe Britannos,
Auſpiciis Naſſovî iterum ſi ſalva fruatur
Albion, & Fatis contraria Fata rependat!
Grate veni, & reduci ſulcas dum cærula claſſe,
Detumet unda ſuo Domino, famulatur eunti
Æolus, alma Salus placido dum flamine puppes
Urget, & applaudit niveis in Carbaſa pennis.
Grate veni, & læta tandem potiaris arena,
Jam Senonum ornatus ſpoliis, jam laude peracta;
Nec Batavis inſtructus, ut olim: Annalibus una
Sit ſatis Illa Dies, ægræ quæ triſte Cadaver
Erexit Patriæ, Superoſque in vota ſecundos
Adducens, quoſdam invitos de faucibus Orci
Eripuit, miſeroſque ſalutem admittere juſſit.
Te Procerum conferta cohors amplexibus arctis
Conſtringit reducem, grateſque Britannia ſolvens
Procumbit genibus minor: En! Tibi, Magne, refuſa
In gremium Faſces ſubdit, Tantique Laboris

Se Pretium, quæ Cauſa fuit; quam Numine charam
Tu propiore foves, quanquam Te Vindice gaudent
Hiſpanus, Batavuſque & fertilis accola Rheni,
Teque Salutiferum ſibi tota Europa fatetur.
Ergo, Summe Ducum, merito potiaris honore,
Et dederit quem Roma ſuis; Arcuſque Triumphans
Ingredere, Omnigenam Tibi dum Victoria pendens
Deſuper imponat quacunque è fronde corollam;
Hanc quoque Muſarum non dedignabere, Cæſar,
Intertexi Hederam, ſic uſque Hac gaudeat Umbra
Florida, ſub veſtra metuat, neque Fulgura Lauro.
Quin age, ſublimi ſcandas Capitolia curru,
Quem non Gallorum claudunt Examina, vultu
Dejecto, miſeranda Hoſti, poſt terga retortis
Nec manibus ſequitur Lodoix; ſed Vota Tuorum
Atque Animos trahis aſtrictos potiore Catena.
Nec veſtri indigeant Pompa, GULIELME, triumphi,
Cum niveis ſublimis Honos, & Gratia pallis
Hinc latus, inde gravi Majeſtas Syrmate ſtipant.
Verum, Invicte Heros, Britonum Spes, Cura Deorum,
Quanquam inter Caſtra, & duris nutritus in armis;
O! tandem placidè reſpirans arma Gradivo
Fige Tuo, Clypeum contuſum, cædis & Enſem
Emeritum; minimi nec enim ſunt Pacis Honores.
Educant Alii, Pariis ſuffulta columnis,
Regia tectorum Cœlo Faſtigia, Luxûs
Artificis Monumenta, & mox Ludibria Fati;
Sed potius Tu Conde Homines, moreſque pudendos
Legibus emendes, Sceptris & Amabilis Idem
Excole, quem Gladio Metuendus viceris Orbem.

Andreas Cuthbert, Coll. Pet. *Alumn.*

HActenus armorum clangor, bellique tumultus,
Inſtructæque acies, horribileſque tubæ,
Attonitum movere imis è ſedibus orbem,
Omnia ſanguineis infremuêre minis.
Jam tandem inſanos poſuit Bellona furores,
Et bacchata diu pulſa receſſit Eris.
Poſt varios caſus, & tot diſcrimina belli
Pax redit, atque iterum floret amica quies.

Ac, mens augurio ſi me non fallit inani,
Non iterum facile diſſolüenda quies.
Haud animus nobis aliena invadere jura,
Noſtra quoque, haud temere, qui violabit, erit;
Sentiet has vires, (ſunt ipſa pericula tanti)
Hos Anglos, quales Anglia priſca tulit:
Quæ nunc jampridem deſueta exercuit arma,
Et didicit tantis fortior eſſe malis.
Lætum omen! quid non poſthac ſperare licebit,
Utile ſi mala dant, ipſaque damna juvant?
Gallus (ad hoc nomen, quàm pœne, oblitus amoris
Jam reſtaurati, perfidus addideram?)
Gallus in obſequium flectens ſe, & fœdera jungens
Agnoſcit titulos, Rex GULIELME, tuos.
Ah! quoties cum te crudelia bella vocarunt
Fudit ſollicitas Anglia mæſta preces?
Quam brevis affulſit, quamque inſincera voluptas,
Dimidium donec caſtra habuere Tui?
Juſta ſalus tandem noſtra eſt, atque integra ſemper
Gaudia, dum toto Rege fruemur, erunt.

And. Snape, A. M. Coll. *Regal.* Soc.

HActenus Ætnæos efflantia faucibus ignes
Vidimus attoniti
Tormenta, undantes flammas, Bellique ruinas:
Sic fuit empta ſalus:
Spreviſti volitante armatos grandine nimbos,
Scilicet ante Tuos
Marte tremente pedes. Poſt tot fera Bella, laboris
Grande Tui pretium
Lætitiamque ſimul, parta jam pace, potimur,
(Siquid & eſt melius)
Rege ſuis donis fruimur majore: Triumphos
Cæſar age; at latitat
Grandior illa Tui rutilantis pompa Triumphi,
Mens Populi: ô ſi animus,
Magne, Tuorum eſſet Tibi ſic ſpectandus ocellis!
Tunc videamus an &
Tu valeas faciem auguſtam, lumenque Triumphi
Suſtinuiſſe tui.

Carolus Osborne, A. B. *Coll Trin.*

Deus

DEus minacis contudit impetus
Mavortis, alto nobilis Otio
Europa ridet, dum Britanni
Indomitam, Lodoice, dextram &
Optata Terris fœdera Celticis
Ambire ſupplex non renuis, Tibi
Eſt Pace conjunctus beatis
Naſſavius comitatus Anglis.
Te blanda, Princeps, ſuſpicit Auſtria,
Cui grata longè ſurgit Iberia,
WILHELME, firmatuſque latè
In patriis Catalaunus oris.
Jam ſec'la priſci temporis aurea
Tandem redîſtis: pulſa redit Fides
En! ſimplicem cultum Parentum
Et niveos imitata mores.
Fluunt ſecundis ſecula menſibus,
Et læta purum tempora Delium
Impunè ſpondent, nec ſereno
Nubila pervolitant Olympo.
Manant benigni nectaris alvei,
Tumentque rivi gurgite lacteo,
Et mella miratur colonus
Chaonia fluitare quercu.
Læto choreas agmine Gratiæ
Ducunt ovantes, & pedibus favent
Lyræ ſonanti lenè noſtræ
Calliopes, humilique plectro.

Tho. Apperley A. M. *Coll. Div. Joh.* Soc.

NOſtra hyemes nigræ fremuerunt littora circum,
At ſævas tandem depoſuêre minas:
Ecce iterum placido ſtat ridens Inſula Ponto,
Et ſubmerſuris pulchrior exit aquis;
Quæ modo ſollicitis expalluit anxia curis,
Ne vis ſubjiceret libera colla jugo,
Ne, dum vincla manus ulturas arcta premebant,
Indignis fleret contemerata modis,
Aras ne ſacras fœdarent Numine ficto
Infeſta, infamis, Turba aliena virûm;
Quæ languebat iners inciſis undique nervis,
Hoſtibus & doluit ludibrio eſſe ſuis,

Quæ ſervata & adhuc tremuit, ne forte inimica
Vis & Præſidium, & dulce Decus raperet;
Jam lætos ſumit vultus ſecura, nec ultra
Aut vinc'la, aut durum ſubtimet illa Jugum;
Quem caſtè coluit, ſua ſunt altaria puris
Intemerata focis, ſunt nova Templa Deo,
Templa, quibus vota, & grates perſolvere dignas
Nunc decet, & larga munera ferre manu.
Gallia jam vires experta & robora magna,
Quam ſprevit, cupidè Fœdera amica rogat.
Acres nempe animas per pugnas, damna per ipſa
Creſcere ſenſit, opes ducere & uſque novas.
Naſſovium jam tuta ſuum tenet Inſula tutum,
Nec dulci amplexu Mars gravis abripiet.
Europæ ille Stator nobis hæc otia fecit,
Et Gentes longa Pace frui voluit.
Quem circum niveis volitans Victoria pennis
Ambit, & auratis Gloria vecta rotis.
Quantum ſurget apex! Pacis dum tendit ad artes,
Fortunæque manet mens bona juncta bonæ.

Joſ. Herne Coll. *Regal. Commenſ.* ad menſam Soc.

INdutus lauro & ramis felicis Olivæ
Et portans Belli laudes & munera Pacis,
Ad lætos Cæſar, poſt bella exhauſta, Britannos
Armipotens redit; & vultu ſua Regna ſerenat.
Qualis Phlegræis cum quondam Juppiter arvis
Proceſſit, Divûm magna comitante caterva,
Ad debellandos cœleſti Marte gigantes,
Aggreſſos Superis Patrem detrudere regnis;
Semper adorandum ſacris terroribus armat
Vultum, quo tonitru, quo triſtia fulgura miſcet:
At cum dira Ægis, cum vindex flamma rebelles
Abſumpsêre, ruuntque in matris viſcera nati
Infandi, placidos aſſumpſit frontis honores,
Placatumque novo gaudebat lumine Cœlum.
Talis cum primum ſe ad monſtra Britannicus Heros
Debellanda parat juſtaque excanduit ira,
Horruit illa ferox auguſtæ nubila frontis
Gallia, & inſtantes præſentit pallida clades
Fatidico terrore; at cum ſe Martius almæ
Submittit paci Princeps, cum fronte ſerena
Tranquillat Gentes, & feſſo proſpicit Orbi;

Tota

Tota Europa choris & plauſibus excita fervet.
Iſidis ad celebris Chamique fluenta ſorores
(Torpentes mutæque, ex quo Venus alma Britannûm
Occubuit, luctu & lachrymis circum omnia complens)
Jam citharis aptant chordas, & voce canora
Dulce ſonant, mulcentque novis concentibus auras.
Egregii Thameſis Domini gratatur honores,
Oceanuſque Pater placidis immurmurat undis.
O Divum proles Cæſar! tu ſecula condis
Aurea, & inſtauras veterum decora alta Britannûm,
Tu firmis humeris non indigus Herculis Atlas
Suſtentas Europam, & triſtia fata retardas;
Per te Cæſareas Aquilas in bella volantes
Cernere erit, quæ roſtro unguique horrenda fugabunt
Agmina Turcarum, en! latis ſimul undique pennis
Odryſiæ obſcurant pallentia cornua Lunæ.
Aurea Pax ſalve, pulcherrima Diva Dearum!
Tu muſam Regina foves, tu Sancta corollis
Inſignis Muſam; te non ingrata coronat
Muſa ſuis Sertis, capitique imponit honorem,
Quem non triſtis hyems, quem non decerpſerit Ætas.

Edmundus Carter A. B. *Coll. Emman.*

NIL ultra eſt, GULIELME, tuis quod laudibus addas,
Unde Europæo clarior Orbe mices.
Virtutem, vireſque Tuas, & læta Trophæa,
Et Victricis opem ſenſit Iërna manûs:
Pergis adhuc, Galloſque Unus moderâre ſuperbos,
Et facis, ut Lodoix fœdera Pacis amet.
Longius ire tui nequeunt, GULIELME, Triumphi,
Et Belli & Pacis Gloria tota Tua eſt.

Ed. Tennant Coll. *Regal.* A. B.

NOX erat, & placidam *Lodoix*, per membra Quietem
Carpebat feſſus, cum ſe mœſtiſſima Regi
Obtulit Umbra *Ducis* (mutati plurimùm ab illo
Qui redit ornatus *Landænæ* tempora Pugnæ
Exuviis, *Britonumque* obſtantia robora fregit:)
Atque imo ducens gemitus de pectore, dixit;
Cum Fama Infernas penna nigrante per oras
Attulit, in *Batavis* agitari *Fœdera* Regnis,
Erubui, vultumque pudor ſuffudit in ipſis

Conſpicuus tenebris, & hiulca repente recenti
Sanguine ſtillabant quæ pro Te vulnera, pro Te
Plurima *Marte* tuli, quæ jam Tu *Pace* rependis.
Quid ſeri de Te credent, *Ludovice*, Nepotes,
Bellorum Annales videant ſi forte tuorum,
Tum, poſitis armis componere Fœdera Pacis,
Cum Te tota ſuum agnovit fere *Belgia* Regem,
Acceſſitque tuis, *Ludovice*, noviſſima Regnis
Barcino; cum Belli nervos *Hiſpanica* Claſſis
Præbuit in Dominum? in terris me ducere vitam
Auſpiciis, *Ludovice*, tuis ſi Fata dediſſent,
Aut dextra hac *Britonum* miſiſſem ad Tartara Regem
Legatum Uxori, (ſedeant ſpectentque *Britanni*)
Aut, ſi Te audieram moliri Fœdera, Natum
Teque Ipſum extinxêm, & memet ſuper ipſe dediſſem.
Sin Te nil moveat patriarum Gloria rerum,
Nec ſuper ipſe Tua moliris Laude laborem,
Hæc precor, ut cum Te ſub leges Pacis iniquæ
Tradideris, nec Pace diu, nec luce fruaris.
Agnovit vocem *Lodoix*, ſomnoque gravatos
Attollens oculos, ſic voce ſilentia rupit.
Deſine Meque tuis incendere Teque querelis,
Nam Pacem non ſponte ſequor------
Dux mihi chare olim, poſtquam Te Fata tulêrunt,
Non Palmæ ſpes ulla fuit, ſublapſa refluxit
Gallia, deſeruitque meas Victoria partes.
Tum Famamque meam, fortunatumque meorum
Progreſſum armorum turbata mente revolvens,
Hæc mecum; Mene incœpto deſiſtere victum,
Nec poſſe *Angliacum* propriis Diadema capillis,
Quippe vetor GULIELMO, imponere? vertere fundo
Imperii leges potuitne *Oliverius* audax,
Et Regem truncare ſuum pars infima vulgi?
Eſt Ego, Rex Regum, ſoboles Ego maxima Papæ,
Tam clarus Bellis, una cum Gente tot annos
Bella gero, nec quem *Anglorum* mea Fulmina terrent?
Hæc olim. Facies rerum nunc altera ſurgit,
Cum video hoſtiles magis increbeſcere turmas,
Annua Cadmæam quaſi præbuit *Anglia* meſſem;
Cum nec diſſolvi poſſunt pretiove miniſve
Vincula queis unà coeunt concordia Regum
Pectora, ut Æmathiæ conjuncto umbone Phalanges,

Altera tunc animo ſententia ſurgit, & ipſum
Increpo me; quæ cauſa fuit conſurgere in arma?
Quid gravidam bellis Gentem, & corda aſpera demens
Tentavi? quo me ambitio? quo gloria Regem
Perduxit miſerum? queis expugnavimus Urbes?
Prælia, dum potui, geſſi. Nunc ite triumphi,
Ite triumphales Lauri, quas ſanguine partas
Sanguine roravi tot jam volventibus annis,
Ite, & Victricem GULIELMI cingite frontem.
Hoſtis erat: tamen hoc Omnes, hoc Ipſe fatebor,
Eſt Fortunatus, Sapiens, Generoſus & Audax,
Eſt illi, eſt animus lucis contemptor: ab hoſte
Hæc habeat meritæ præconia debita laudis.
Atque equidem fateor, vivo Me, *Gallia* dextrâ
Si vinci potuit, GULIELMI victa fuiſſet.
Nunc, quoniam rapior per iter declive Senectæ,
Bellorum horribili ſonitu fumoque remotum
Pace ſenile Caput patria requieſcat in Urna:
Et ſeri hoc de me referant poſt Fata Nepotes:
Europæ Pacem *Lodoix* dempſitque deditque.

S. White, Trin. Coll. *Alumn.*

BOiniacos alii Campos, arcemque Namurci,
Si libet, & Magni Cæſaris arma canant.
Sunt nobis Palmæ mites ante omnia cordi,
Et, ſacros Paci, quos dedit Ille, Dies.
Non Illi ſanas Mavortius impetus aures
Obſtruxit, fauſtæ aut præmia Militiæ.
Spes poſuit vaſtas; Belli ſuperavit amorem,
Atque animos, ſicut cætera cuncta, ſuos.
Quas Acies nuper *Lodoix*, quæ bella ciebat?
Quæ Cæſar Regum Rex modo, Duxque Ducum?
Quam nunc Unanimis fulgent Heroes in armis?
Mutua Lætitia eſt, mutua Laus, & amor.
Aſpice, ut Europam pertentent Gaudia Matrem;
Aſpice, ut aſſurgat Gloria Chriſtiadûm.
Aſpice, ut ingenti concordibus Omine Cœlum
Annuat, & lætis rideat Auſpiciis.
Turcarum celebris ſancit nova Fœdera Clades,
Conjunctis Aſiæ ſpondet & Imperium.
Byzantî magno Leopoldus mœnia Bello,
Et ſervata petet Græcia Barbariam.

En! Juvenum rurſus terrent examina partes
Heſperia Eoas, Oceanumque Rubrum.
Jam Chriſti patria, ſacro Jam Turca Sepulchro
Pellitur, & Meccæ jam timet Ipſe ſuæ.
Quis vero extremas Mundi novus ardor in Oras
Immemorem rapuit me, GULIELME, tui?
Nunc Libertatem, nunc Jura, Deoſque reponis,
Nec cæde, aut fletu Munera tanta madent.
Hoc non Sanguineo exultas, GULIELME, triumpho,
Nec tantum Bello Regna ſubacta placent.
Vix cohibes lacrymas felix poſt prælia Victor;
Dulcior, & Pacis Gloria major erit.

Johannes Hutton Coll. *Regal. Alumnus.*

CÆſar, Io Pæan, rediit firmo pede Victor,
Martis amor, Britonumque pater; cui tempora circum
Victrix miſta viret felici, Laurus, Olivæ,
Pax præit, & feſſis ſequitur Victoria pennis.
Ut Frontis cecidêre minæ! vultuſque tremendos
Explicuit placidus! quantum mutatus ab illo,
Qui modo cæde madens, & multo pulvere onuſtus
Vexavit toties repetito turbine Gallos!
En age! Flandriaco disjectos Æquore verſat
Fervidus, ut penetrat cuneos, aperitque viam vi
Acer, & inſultans! quantus Deus incidit illi!
En impar oneri ut levibus Gens ignea plantis
Emicat! ut rapidis Exercitus evolat alis!
Nunc neque direptas, ærata luce coruſcus,
Induit exuvias, ſpoliiſve ſuperbit opimis;
Pompa nec oſtentat repetitos Marte triumphos,
Captivoſque Duces, Regeſque ad frœna ſequentes;
Nec ſummo volitant minitantes vertice criſtæ.
Sed fixit tellure Haſtam, ſed Pacis honores,
Defenſoſque refert cives, Socioſque reductos,
Otia, Lætitiamque, & amicæ dona Quietis.
Sic ſanie rigidas, & putri rore madentes
Terribili rudis arte comas, ubi traxerit Haſtam
Vertice demiſſo averſam, ſatiatus & uncis
Arma dedit reſidere tholis, ſetaſque comantes
Per ſcapulas fluitare, ſinu Mars pectoris iras
Aut Veneris ſepelit, clypeo aut reſupinus in Hæmo

Stertit,

Stertit, & emeritis lentè capit otia Bellis.
Anglia pone metum non te dolor anxius uret
Amplius, haud rurſus Regem per aperta ruinæ
Martis amor rapiet, neque vitæ prodiga Virtus;
Intrepidus quoties everſas cuſpide turmas
Æquore toto egit Victor, noſtrûmque ſuique
Immemor, ut miſeros torſit metus! Ille doloris
Sic, ſic cauſa fuit, nunquam dedit ante moleſtis
Materiam curis, aut argumenta querelis.
Sat Marti, furiiſque datum eſt; jam totus ad Anglos
Arbiter Europæ properat; Pax alma Britannos
Reſpexit, rediitque ſimul diffuſa capillos
Aurea Libertas, Pietas ſincera, Fideſque
Cana, Bonæque Artes, & pleno Copia cornu.
Jupiter immunem ſic cum pacaverat Oſſam
Et ſolii firmârat opes, Belli immemor uſtos
Æthiopas viſit, tonitrûs procul Ira triſulci,
Et fera ſopitis requieſcunt Fulmina flammis.
Magnus eras, cum Fortunam Seneffa morata eſt
Condæi, lauroſque Seni de fronte revulſas
Tranſtulit in Puerum; Magnus, cum *Boyna* furentem
Vidit, & obſtupuit; cumulata laude, noviſque
Surgis adhuc titulis, dum præbes Gentibus aurem
Pacificus, ſpretis quos ſpondent Bella triumphis.
Dux Macedûm prædo felix, Dux Julius orbem
Concuſsêre armis: quotus at Rex eſſe ſuorum
Et Rex eſſe ſui potuit? vel Regna capeſſens
Se capiat, Stygia damnans ſub ſede, Laborem
Inſidiaſque, Necemque, & ovantem ſanguine Martem?
Factio cui gravis ira, & inexſaturabile pectus,
Jam placido cernens compreſſos orbe furores,
Te Patrem Patriæ agnoſcit, Dominumque potentem
Excipit exultans, tua ſponte in frœna reclinis
Submittit cervicem ultro, Regemque fatetur.
O adſis! feſſas ut porrigit Anglia palmas!
Tot natis orbata ſuis, poſt tanta ſuorum
Funera, tot clades, petit O! lenire dolores
Et curas mulcere, ideo ſe amplexibus ardet
Acclinare tuis, placideque quieſcere in ulnis.
Excipiens reducem ſic ſacra pelle ſuperbum
Cappadocem Virgo, læte jacet antè malorum
Sabra memor, Gêorgîque ſinu ſecura, timores

Ærumnaſque graves revocat, fruiturque peric'lis.
Sed tamen Angligenûm pubes, inſtructa Gradivi
Auſpiciis, inſtructa Tuis, ſua bella repoſcit.
Ignavi cum lenta maris ſocordia pigras
Sternit aquas, fluctuſque gravi languore jacentes
Torpor iners ſtringit, per languida ſtagna veternum
Marmoreum fundens, damnat malè perfida *Tiphys*
Otia, & horrentes Hyemes, nigraſque procellas
Invocat, & piceæ Chaos illætabile noctis.
Sed ſi tantus amor Martis, domitore lacerto
Infeſtas munire vias, deducere rivos
Aut laſſare feras poteris, latoſque maligno
Faſce urgere humeros, vel iniqui ponderis haſta,
Vel præpilatis ludo concurrere contis,
Aut torquere ſudem; hinc fortes animoſa tuentur
Membra tori, hinc agiliſque vigor, ſpatiumque ſuperbi
Pectoris, & crudo turgentes robore nervi.
Sic poſt *Creſſiacas* clades, Equitumque triumphos,
(Victrices ne fortè animos labefacta retundat
Luxuria pubes) diræ ad præludia ſcenæ
Provocat *Edvardus*, ſimulataque prælia veris;
Ponit & aptatas *Stellis* multoque ſuperbas
Marte *Periſcelidas*, ſint ut ſua præmia laudi.
Jam quid erit, quod quis, voti licèt improbus, optet,
Amplius? Auctori tantùm ne detrahat uſum
Pax malefida ſuo, toties ſecurus ab hoſte
Pacis præda cades? non, ſi fas Numina vinci
Supplicibus, cœlumve pio expugnabile voto eſt,
Si Tibi Dii ſimiles, & præbent queſtibus aurem.
Sed cum Numinibus Te ſors æterna fatetur
Deberi tandem, tua cum Tibi porrigit ulnas
Dîa Maria, novoque ſtruit Temone Triones,
Sero abeas tamen, O terris juvet uſque morari,
Anglica ſperatis dum ſurgat Gloria rebus,
Et *ſurget*; neque enim placidi indulgentia cœli
Te nobis Regem, tantis Virtutibus auctum
Donâſſet, terræ ereptum pelagique peric'lis;
Si non in ſec'li Auſpicium, Pignuſque futuri,
Si non, ut longùm populo des Jura volenti,
Pacatumque regas propriis Virtutibus orbem.

Nic. Penny A. B. *Coll.* Regin.

Julius

JUlius, enisus Romanam attollere Gentem,
Martia Victrici concutit arma manu:
Dein Pace Augustus pollens, rerumque peritus
Illud idem propriis artibus urget opus:
Sic tandem magna consurgit mole; duobus
Acceptumque refert Roma superba decus:
Nec minor Ausonio floresce, Britannia, regno;
Principe cum spiret Cæsar uterque Tuo.

Edvardus Harvey Coll. *Trin.* Commensalis.

MArtem animo varium dudum Lodoicus iniquo
Spectârat, fatisque suis contraria Fata
Senserat indignans, rupitque has pectore voces:
Nequicquam obnitor, Diis adversantibus, hosti,
Nequicquam pulchros infelix spero Triumphos.
Fatales mihi, quas primas Puer imbibit auras!
Nam memini, quantum est eheu! meminisse doloris?
Belgica cum tremeret Tellus sub Milite nostro,
Desperare suæ & jam pœne evicta saluti
Cœpisset, gemitus velutique ciere supremos;
Solus Hic inventus spes interrumpere nostras
Qui potuit, fulcire humeris Patriamque ruentem:
Hic Idem rursus revoluto tempore magnum
Europæ Imperium grassantibus eripit armis.
Quid faciam? sæpe Insidias elusit inanes,
Vultu sæpe alto rejecit præmia: multas
Restituam variis cepi quas artibus Urbes?
Antiquam libertatem donemve subactis?
Et mihi dediscant soli servire magistro?
Quàm mens luctatur? quàm vix succumbit, & odit
Insignes laudes, prædasque refundere dulces?
At supereſt ea sola mihi via, sola valebit;
Et valeat; nec erunt minima hæc solatia nobis,
Tam præclarum armis sic conciliarier hostem,
Magna ab Amicitia magnos referamque triumphos.
Gallia, Io, resones, & tristes exue vultus,
Quem formidâsti, jam se promisit Amicum.
Heroum sed tu fœcunda Britannia prole,
Sublimi triplicem capiti jam cinge Coronam,
Grandisque insolito discas incedere gressu,
Augustoque occurre tuo, qui ceu Deus instat,

 En!

En! referens Pacem dextra, Lauroſque ſiniſtra.
Illuſtres animas Solium Regale recepit,
At fuit haud unquam tam ſacro pondere preſſum.
Quæ Regio in terris, cui non eſt Gloria nota
WILHELMI? latè volitantem Moſchua famam
Accepit, Magnique Ducis pervenit ad aures;
Quam ſimul audivit ſubito percuſſus amore
Compellare virum eſt, & Res cognoſcere tantas.
At Vos, ô Britones, ſtudiis concordibus acti,
Concentuque Heroa pio ſalvere jubete,
Qui vobis meruit per tanta pericula Pacem,
Et ſtabili fortis fluitantes ſede locavit.
Tandem importunis adeò, Invictiſſime Princeps,
Subtrahe te rebus, Juſtæ indulgeque quieti.
Sat Famæ nobiſque datum eſt: veſtra Anglia dextra
Defenſa eſt, alia nunquam defenſa fuiſſet.

Wilh. Beaſley Coll. *Regal. Alumn.*

WILHELME, Regum ô maxime, Dux bone,
Quæ cura Patrum, quæ Procerum, tuas
Æternet extentas in ævum
Muneribus tituliſve, laudes?
Moles propinquas nubibus arduis,
Et dia ceris ora perennibus
Expreſſa ponent, quas ſequaces
Circùm oleæ fluitentque lauri.
Tutela præſens Orbis, & Imperî
Stator ruentis! ferrea ſecula
Orbiſque veſanos tumultus,
Lenieris ſine cæde victor.
Inſtar ſereni ſyderis emicas,
Clarum reducens poſt tenebras diem,
Terraſque, Tu, cœlique tractus,
Nubibus, exhilaras, fugatis.
Non qualis, atro pulvere ſordidus
Nuper, tonantem cum Pavor, & Fuga,
Pallorque quà te cunqne campo
Arduus intuleras, præibant;
At lene ſpirat vultus, amabilis
Frontem ſerenat Candor, & anteit,
Et quale vel Phœbi, & Deorum,

Ambro-

Ambroſium decus ore fulget.
Qualiſve ſummis fluctibus emicat,
Ventos rebelles numine temperans,
Neptunus, & mulcet frementes
Rector aquas, pelaguſque placat.
Jam Vis, & ater Luctus, & horrida
Emiſſa regnis agmina triſtibus
Ceſſere retro, quin Erynnis
Ipſa fugit, repetitque noctem:
Quin ipſe Gradivus frameam Tibi
Fulmenque ponit, ſævitiæ immemor,
Magnumque ſubmittit Tridentem,
Æquoreæ Dominator aulæ:
Nec, Te, minaces jam galeæ juvant,
Bellona, ſævi aut murmura claſſici,
Miteſcis, & vultu remiſſo,
Otia agis, rabiemque frænas.
Ut, cum coorto plebs ſibi diſſidet
Amens tumultu, cum medias ruit
Pugnax per urbes, & cruenta
Cuique ſuum dedit ira telum:
Virtute clarum, vel meritis gravem,
Heroa ſi quem conſpiciunt, ſilent,
Motus reſidunt, & recumbit
Ira minax, rabiemque ponunt.
Sic, Te, labantis præſidium & decus
Ævi, intuemur: ſic tacitus ſtupet,
Orbiſque Te, quacunque tendis,
Compoſitis veneratur armis.
Te Pax, & albis Diva Salus colit
Invecta bigis, almaque Fauſtitas,
Magnæque Virtutum Catervæ,
Juſtitiæ reducis ſorores.
Quacunque ſacrum lætus agis pedem,
Benigna frugum ridet adorea,
Gregeſque ſecuri vagantur,
Fundit opeſque benigna tellus.
O longa præſtes otia gentibus,
Longumque differ lucida ſidera;
Serò reclinatus beatos
E pateris Superorum, & auro
Libabis hauſtus, regia Cœlitum

Quamvis repoſcat te nimis invida,
Noſtraſque te curare laudes,
Atque hominum queritur triumphos.

Joh. Maulyverer, Trin. Coll. A.B.

ANglia ſueta olim pacis male tædia ferre;
Semota & caſtris otia longa queri,
(Pigro quippe animos ſenſit torpere veterno,
Corrumpi vires, membraque diffluere:
Aut, quod adhuc gravius, luxu nimio dapibuſque
Vecors atque amens vim tulit ipſa ſibi.)
Falcifero curru jam vult ſolviſſe Leones,
Atque haſtam properat depoſuiſſe gravem.
En dempta galea criſtiſque minantibus, ambit
Pacali ramo mitis Oliva caput.
Ut præ ſe placido declarat gaudia vultu!
Moturam credas vix iterum arma trucem.
Quid potuit tantos animi lenire tumultus!
Tranquillæ unde ſubit corda quietis amor?
Quid veteres inimicitias tibi, Gallia, donat,
Defluere & patitur laurea ſerta manu?
Quid? neque enim vires effœtæ in pectore languent,
Nec nervi & ſanguis corpore deficiunt.
Hoc unum male habet: nimium GULIELMUS in armis
Audet, & oblitus ſeque ſuoſque ruit.
Materna inde tibi Pietas præcordia tangit,
Et fortem quamvis, Anglia, Pallor habet.
Ah quoties doluit, plus quam mortalia ſpectans
Facta Ducis, Mortem Juris habere ſui!
Novit, quanti emeret vitam tibi Gallia raptam,
Atque eſſet ſine te quam ſibi vita gravis.
Hunc unum miſera haud potuit perferre laborem,
Qui ſubigit ſtimulis acribus uſque animum,
Hoc uno perculſa metu tibi, Gallia, parcit,
Quæ geſtura eſſet ſertaque, lapſa fluunt.
Fœdere nunc itaque oblato componere bellum,
Conſilia & Pacis lenia inire juvat.
Ad ſe disjunctis GULIELMUM arceſſit ab oris,
Complexuque arcto blanda tenere cupit:
Obſecrat, ut triſtes liceat dediſcere curas,
Quas maris & pugnæ crebra peric'la ferant.

Audiit

Audiit ille preces; (nunquam funduntur inanes,
Anglia Naſſovio quas dedit ore preces;
Tempus dirum illud teſtor, cum ſtabat ad Aras
Placatura malos victima opima Deos,
Subjectos memini cultros innexaque vinc'la,
Curſare & vates ſedulò ſacrificos.
Intento eripuit præſens GULIELMUS ab ictu,
Et rupta obtrivit vinc'la inhoneſta pede.)
Audiit Ille preces: iræ poſuere feroces
Herôi, & tentat pectora Pacis amor.
Oſtendat quamvis propiùs Victoria lauros,
Spondeat & certum nuncia Fama decus:
Lauros averſis oculis animiſque tuetur,
Oblatum ſurda pellitur aure decus.
Nec piget; una omnes Bellona haud præbet honores
Et ſerta, & laudes Pax habet alma ſuas.
Nec te pœniteat, Mater; novus haud tibi tangat,
Quem pietas fecit, corda ſoluta metu,
Obrepat ne magna iterum per membra veternus,
Aut Furor inſanus luxurioſam agitet.
Ille idem mites Pacis bene calluit artes,
Qui monſtrat, quo ſint bella gerenda modo.
Perpetuam annorum ſeriem pulchro Ordine nexam
Proſpicias, labi & ſecula lege novâ,
Quam neque turbabit præceps fœdo agmine luxus,
Intentanſve faces dira Superſtitio.
Excipient horas redeuntes Gratiæ in Orbem,
Dum cornu pleno Copia manat opes.
Libertas audax ſua Jura tuerier uſque
Geſtiet intrepidos ferre, referre pedes.
At Vos, O Muſæ (vobis ſunt Otia grata)
Tangatis numeris æmula corda ſacris.
Dicentes, ut poſt finita pericula Martis
Naſſovius populis vivere Pace dedit,
Ut ſancte inſtituit Leges, docuitque per artes
Quæ fecit nobis Otia rite frui.

E. Gaell A. M. Coll. *Regal.* Soc.

IN
GRATULATIONEM ACADEMICAM
Auſpiciis
Sereniſſimi GULIELMI III. *P.P.*
Typis Academicis
Ex Bataviâ *nuper comparatis*
Feliciter mandatam.

Ad REGEM.

ACcipe, Rex, placido Muſæ pia Munera vultu,
Ex Aganippæis qualia legit Agris.
Siquem habeant, Patriæ, quam Tu Virtutibus ornas,
Ornatum debent Carmina noſtra Tuæ.
Jam Fama Orphæi ſileat Miracula Plectri,
Altaque Dircæâ Mœnia ſtructa Lyrâ:
Literulæ huc coîêre, Tui, GULIELME, ſequaces
Nominis, & pulchrum conſtituêre Librum!
Sic Epicurêi diſcordia Semina Mundi
Poſtquam Inimicitias depoſuêre ſuas,
Ex benè diſpoſitis Atomorum hinc inde Choreis
Formoſum erexit Maſſa ſuperba Caput.
Fertur *Agenoridæ* Victori armata Virorum
In *Bellum* & *Cædes*, emicuiſſe Manus:
Mitior hìc Aciem inſtruxit *Cadmeïa* Proles
In *Pacem*, & *Laudes*, O GULIELME, Tuas;
Quæque Tuos Elementa parant celebrare Triumphos,
In dulces properant, docta Caterva, Modos.
Auſpiciis ſic aucta Tuis, Rex Inclyte, *Noſtri*
Officii, & *Famæ* ſtent Monumenta *Tuæ*.

Jacobus Talbot, A. M. *Coll. Trin.* Soc.

Pauca quæ ſequuntur Carmina, commodiorem quidem locum cum ſuperioribus aliàs habitura, ideò huc rejici placuit, Formis non æquè nitidis exprimenda; quòd Typi novi Academici, iis excudendis deſtinati, nondum ad nos pervenerint.

Ὑπὲρ τῆς εὐκαιροτάτης Εἰρήνης, μεγάλῃ τῇ Βρεττανίᾳ, καὶ δὴ καὶ ὅλῃ τῇ Εὐρώπῃ καὶ τῷ Χριστιανικῷ, τῇ τοῦ Θεοῦ ἅμα καὶ τοῦ Βασιλέως ΙΛΕΡΜΩι Τείτῳ σωτηρίῳ Θεσπιῳδία, ὅπι χρηγηθείσης.

Εἰρήνῃ πολύολβον ὅδε σπονδῆσιν ἀείδω,
Εἰρήνῃ βασιλειαν, ἐφ' ᾗ κρατερόφρονες Ἄγγλοι
Πολλὰ μάλα μογέσκον ἐναντία Βορβονίδαι
Λωϊσίῳ, πολεμεῦντες ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι.
Χαίρετε, Βρυτιάδαι, θάρσος γλυκὺ, Ἕκτορος αἷμα,
Ἄγγλοι δυσπάλεμοι, μεγάλης ἄλκος ἀρχεμέδοντες,
Καλλίχορον λελαχόντες, Ἰησοῦ φαεσιμβρότου,
Παυσωλίῃ, πολέμοιο μετ' ἐναίσιμον ἄεθλον.
Ἄρης μὲν πρῶτον ἀπὸ Θρήκηθεν ἰόντος
Ὤρνυτο ζαθέων ὀρέων αἰπειναὶ κάρηνα,
Πᾶσαί τε Ζηνὸς ἱεραὶ δρυες ὑρανομήκεις,
Φρείατα καὶ κρῆναι, παῖδες Ὠκεανοῖο γεγάθμι,
Ταρβοσύνῃ· μὴ γαῖαν ὁμῶς καὶ πόντον ὀρίνῃ
Πεζῶν ἱππήων τε νέφει καὶ πληθυῖ νηῶν.
Τοῖος μὲν γὰρ ἔφαινε βαρὺς θεὸς αἰολομίτρης,
Μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι, κύδεϊ γαίων,
Ἔγχος τε κραδάων δολιχόσκιον, ἔντεσί τ' αἴθων
Χαλκείοις· ὑπὸ ποσσὶ μέγ' ἔσμυε γαῖα πελώρη.
Τέτῳ ἅμ' εἵπετο λαὸς ἀπείριτος ἀκριτόφυλλος,
Πιστοὶ μὲν καὶ ἄπιστοι, ἄχριστοι Χριστιανοί τε,
Τοῦρκαι, Γερμανοί, Φλανδροί, Γαλάται τε καὶ Ἄγγλοι,
Εὐρώπης τ' Ἀσίης τε πανέξοχοι ἐν δαὶ λυγρῇ·
Πᾶσιν γὰρ νόσον ὦρσας ἴσον, πολέμοιο ἔραστα,
Ἄρες, Ἄρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιβλῆτα.
Τίς δ' ἐρέει κατὰ μοῖραν ὁμῶς ἵππων τε καὶ ἀνδρῶν,
Ὅπλων τε στεροπὴν, μαλερὸν θ' ὁμάδοιο κεραυνόν,
Καὶ ξιφέων πλαγὰς, ἀνδροβρώτων τε πελέκκων,
Νηῶν ξυμπλατάγημα καὶ εἰν ἁλὶ κωμοδυάων,
Ὀλλυόντων τε καὶ ὀλλυμένων γονόεσσας ἀέθλους,
Γαιοφθόνιόν τε πεσόντα, ἰδὲ θεναρὸν Ταλμαρσὸν,
Πολλῆσίν τ' αἴσδαο στεῦν μάλα μυριάδεσσι
Ψυχαὼν πλησθεῖσαν, ὑπὲρ μέρον αἶνα παθυσέων,
Ἔκχυσιν ἀργυρέοιο ἰδὲ χρυσοῦ πολυτίμου,
Καὶ πολυτιμοτέρου χύσιν αἵματος ἀνδρομέοιο;
Ἀλλὰ θεῶν ἐλέησε πατὴρ, ἅμα υἷϊ δίῳ,
Ὀψὲ θεῶν ἐλέησε πατὴρ, τάχα δ' ἔργα σιδήρου
Ἡσυχίης ἤμειψε φίλης, βιόδωρον ὀπάσας
Εὐφροσύνῃσιν, θαλερῇσί τε θεῦ δίσιν αἰὲν ἐόντος
Καλῇ Εὐπορίῃ· θῆκεν δ' ἀπέρσεν Ἄρηα
Χαλκείαις, βριαρῇσιν, ἀλυκτοπέδῃσι πεδήσας.
Λαῷ δ' αὖ σφετέρῳ πορῖεν γλυκὺ Πλουτοδότης ἔργον,
Εἰρήνης ξυνόδημ' ἐριθηλὲς ἔζον Ἐλαίης.

Josua Barnes, S. T. B. *Gr.* Ling. Prof. *Emman. Coll.* Socius.

GRATULATIO

ΙΛΕΡΜΩι τῷ τρίτῳ, τῷ τῆς Μεγάλης Βρεττανίας Βασιλῆ Τρισμεγίστῳ,
Εἰς τὴν Εἰρήνην Καθολικήν.

ΧΑῖρε, Βρεταννιακῆς νήσου κύδιστε Μονάρχα,
Χαῖρέ τ' ἀγακλειτῶν πάντων πολὺ φίλτατ' Ἀνάκτων,
Χαῖρε καὶ Οὐρανίῳ Βασιλῆ ἐπιείκελ' ΙΛΕΡΜΕ.
Ἄλκιμος εἷς Ἥρως, Αἰχμητὴς καὶ Πολεμιστὴς,
Ἡγήτωρ κρατερὸς, καὶ Ἀρχηγὸς στρατιάων.
Πόλλ' ἔτλης, μάλα πολλα πάθες, καὶ πόλλ' ἐμόγησας,
Πλεῖον ἐποιήσασκες ἀνὰ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν.
Ἄμμ' Ἐπαρωγὸς ἔφυς τε, μέγ' Ἕρμα, καὶ ἀσφαλὲς Εἶλαρ,
Ἄμμιν Ἀλεξίκακός τε Σωνήγορος, Ἄλκαρ ἐτύχθης.
Ἄμμε μὲν ἐξ ἐχθρῶν, μεγάλοιο Θεοῖο ἕκητι,
Ῥύσαο, δυσμενέων χειρῶν μάκαρ ἐξανέλυσας,
Οὐλόμενον πόλεμόν τ', ἔριδας, καὶ νείκε' ἔπαυσας,
Πᾶσι δὲ τειρομένοις, καὶ ἀμυνομένοις περὶ πάτρης
Ἔπλε' Ἀμύντωρ ἠδ' Ἐπιτάῤῥοθος, ἠδ' Ἀλεωρή.
Πρὶν μὲν ἀρηΐφιλοι τε, μιαιφόνοι, οἰστρομανοῦντες,
Ἄγριοι, ὑβρισταὶ, βροτολοιγοὶ, βαρβαρόθυμοι,
Δημοβόροι τε βροτοὶ, αἰὲν κακὰ μητιόωντες,
Ἀνέρες ἀνδροφόνοι τε, φιλοπτόλεμοι δέ τ' ἔθαλλον·
Πρὶν μὲν ἔσαν θρῆνοι, πένθη, καὶ δείματα λυγρὰ,
Ταρβοσύνη, στοναχή τε, κατηφείη θ', ὁμαδός τε,
Καὶ φόβος, οἰμωγὴ, κωκυτὸς, δάκρυ', οἰζὺς,
Πρίν τ' ἐνοπὴ, κραυγὴ, κακότης, χόλος, ἄλγε', ὀδυρμοὶ,
Ἦν δὴ ἐρήμωσις, πενίη, δόλος αἰνὸς, ἕλωρα,
Ἠδὲ λεηλασίη τε κακοῤῥαφίη τε πέφυκεν.
Πρὶν μὲν ἔην ἄτη, καὶ τεύχεα αἱματόεντα,
Ἕλκεα καὶ μῶλος, νέμεσις καὶ λυγρὸς ὄλεθρος,
Ἦν ἀνδροκτασίη, πότμος, καὶ μοῖρα μέλαινα.
Νῦν δὲ δὴ ἠλλάχθη πάντ', εὐθενίη ἐρατεινὴ
Ἐξεφάνη, νῦν πίστις, ἔρως, φιλότης, ὁμόνοια,
Εἰρήνη, θαλίη, πλοῦτός τε καὶ ὄλβια πάντα,
Νῦν ἀγάπη, στοργὴ, τερπωλὴ, γηθοσύνη τε,
Ἦδος, ὁμοφροσύνη, ἁλαλαγμὸς, μολπὴ, ἀοιδὴ,
Χάρμα τε, μειλιχίη, χάρις, εὐφροσύνη χαρίεσσα.
Οὐκέτι γὰρ πόλεμοι, καὶ οὐκέτ' ἀγῶνες ἔασιν,
Οὐκέτι νῦν στρατός ἐστι κακῆς ἀκόρητος ἀϋτῆς,
Οὐκέτ' Ἐνυάλιος, οὐδ' Ἄρης πλεῖον ἀνάσσει,
Ἢ κινῆ λυγρὴν καὶ αἰνὴν δηϊοτῆτα.
Ἀγγλὶς νῦν γλυκεροῦ μαλακοῦ τ' ἀπολαύεται ὕπνου,
Ἤμασιν ἡσυχίης τούτοις Ἀραρὰτ ἐπέμεινε
Ἡμετέρη Κίβωτος ἀκίνδυνός τε σόη τε.
Ἠνὶ δὲ νῦν χρόνος ἐστὶν, ὅτ' ἄρνες σύν τε λύκοισιν,
Ὅτθ' ἅμα σύν τε βόεσσ' ὠμοὶ βρώσκουσι λέοντες,
Ἀσφαλέως καὶ ἔδουσ', ὡς Ἱερὰ Γράμματα φάσκει.
Τῷ μάλα Σὲ κλείουσι καὶ αἰνείουσιν, ΙΛΕΡΜΕ,
Πάντες, ἐπεὶ ταύτας Μαντείας ἐξετέλεσσας,
Ἠδὲ τέλος φίλιον πολέμοις τε μάχαις τ' ἐπέθηκας.
Ὑσμίνης Σέο βουλῇ ἀναπνείουσιν ἅπαντες
Δυσμενέες, καὶ φυλόπιδος κρατερῆς κατέπαυσαν.

Τὸν-

Τοῦνομα Σοῦ τοίνυν εὐφημίζουσι φαεινὸν,
Κηρύσσουσι τεὴν ὑπάτην βασιληΐδα τιμὴν,
Κοιρανίην τε βοῶσι δι' ἔσχατα πείρατα γαίης.
Κελτὶς σὴν χώρη ἀρχὴν Βασίλειον ἐπέγνω,
Σεῖό τ' ἀνακτορίην φανερὴν δήλην τ' ἐποίησε
Κελτικὸς αὐτὸς Ἄναξ, καὶ νῦν ἀπερείσι' ἄποινα
Δόσκε, καὶ ἀγλαὰ δῶρα, χαρίσματα κάλλιμα πολλά.
Κελτιμὰ νῦν Κρίνα Λευκὰ φύει, καὶ εἶδος ἀγητὰ,
Ἡδὺ μάλα πνείει νῦν Κελτικὰ Λείρια καλὰ,
Πανταχόθεν χεύει ἑδανὴν, ἔυοσμον ὀδωδὴν,
Καὶ χεύσει γενεαῖς ἀλλήκτοις νωλεμὲς αἰεὶ,
Εἴπερ ὑποσχεσίας καὶ ὅρκια πιστὰ τελείῃ,
Καὶ ἱερὰς ῥήτρας εἰ Κελτιὰς αἶα φυλάξῃ.
Δοίη Παμμεγέθης Βασιλεὺς, Θεὸς Ἄμβροτος αἰεὶ,
Παντοκράτωρ, Ἄφθαρτος Ἄναξ (τοῦ γὰρ πέλει ἔργον)
Ὄφρα παράλληλός τ' εἰρήνη συνθεσίη τε
Ἔμπεδος, ἄῤῥηκτός τ', ἄλυτος τ' ἔῃ ἠδὲ βεβαία.
Στήτω ἄρ' ἀσφαλέως πιστὴ καὶ ἀστυφέλικτος,
Μή ποτ' ἀμοιβαίων εἴη τέλος ἁρμονιάων.
Καδδὲ τελευταῖον, δοίη Ὕψιστος ἀνάκτων,
Κοίρανος Ἀθάνατος καὶ Παμβασιλεὺς πανεπόπτης
Ἀγγλιγενῶν Βασιλεῖ μῆτιν, σοφίην τε βαθεῖαν,
Καὶ κράτος ἠδ' ἰσχὺν, καὶ ἀγλαΐην ἐρατεινὴν,
Πολλὴν μὲν θαλίην τε διαμπερὲς ἤματα πάντα·
Πᾶσιν ὅπως ἐσθροῖσι τετιμένος, ἠδὲ φίλοισιν
Αἰνετὸς, ἰσοθεός τε πέλοι Σκηπτοῦχος ΙΛΕΡΜΟΣ,
Ἀσφαλέες τε γενοίμεθ' ὑπὸ πτερύγεσσι τεῇσιν.
Εὐχὴ ἄρ' ἡμετέρη Σὲ φιλῆς αἰῶνος ἐπαυρεῖν,
Καὶ βιότου μάλα μακροῦ ἐπὶ χθονὶ πολυβοτείρῃ,
Ἠδὲ πολυχρόνιον δηθὰ ζωοῖσι μετεῖναι,
Ὀψὲ τάφον δύσεσθαι, ἐν ἄκρῳ γήραος ὀδῷ.

Johan. Edwards, S. T. B. *Coll. S. Johan.* nuper Socius.

Κοίρανος Ἀγγλιαδῶν, ποιμὴν ὅδε φέρτατος ἀνδρῶν,
Ἤλυθεν ἐκ πολέμου νίκην καὶ κάρτος ἀπούρας·
Νῦν δὲ μαχῶν δοῦποι καὶ Ἀρήϊα ἔργα πέπαυται,
Χάρματα δ' Εἰρήνης τε καὶ ἡσυχίης βιοδώρου
Ἐξανέλοντο πόνους καὶ μόχθον δηϊοτῆτος·
Ταῦτα θεοὶ καὶ ταῦτα σὺ, ὦ ΓΥΛΙΕΛΜΕ, δέδωκας,
Ταῦτα μὲν Ἀγγλοῖσιν πόρεν ἀγλαὸς υἱὸς Ἄρηος·
Ξυμφωνοῦσι μὲν οὖν τεὸν οὔνομα, φέρτατ' Ἀνάκτων,
Πάντες, καὶ λαῶν πληθὺς καὶ κρείττονες ἀνδρῶν·
Ἀλλ' ἄγε δὴ ἁπαλοῖσι ῥόδοις λαμπρύνετε κώμας,
Καὶ δεινὴν καταθέσθε μάχην καὶ ἑκηβόλον ἔγχος,
Καὶ βριαρὴν σάλπιγγα, τόδ' ὀργανόν ἐστιν Ἄρηος,
Καὶ τὸν ἑορτασίμοις ᾠδαῖς ἀσπάζετ' Ἄνακτα,
Μέλπετέ τ' Ἀγγλιαδῶν δῖον κοσμήτορα λαῶν·
Γηθοσύνοις θυμοῖσι Διὸς πρὸς νηὸν ἱκέσθε,
Καὶ γὰρ ταῦτά γε πάντα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται,
Οἵ τέ σοι, ὦ Βασιλεῦ, τιμὴν καὶ κῦδος ὄπασσαν,
Λαῷ δ' Ἀγγλιακῷ ὁσίην καὶ ἀγήνορα πλοῦτον.

Nathanael Marshall, Coll. Emman. *Alumnus.*

GRATULATIO

ΑΓΑΛΛΙΑΜΑ ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΕΙΟΝ.

Μακάρεσσι σὺν θεοῖσιν
Ἀγγλιὰς ἐχεῖ γαλήνην
Ἀλλὰ τί μοι νῦν μέριμναι·
Ἔριδας μὲν οὐκέτ' ᾄδω,
Πενθερὴν ἄμειψα χορδὴν,
Πένθος οὐ φιλεῦντι Μῶσαι,
Οὐδὲ Βασιλεῦσι τερπνόν·
Ἱλαροὶ φανῶμεν ἄμμες,
Νησίον γὰρ ἔσθ' ἕκηλον,
Πλόος ἀσφαλὴς νέεσσι,
Βλεφάρων ἄπ' οὐκ ἀραιῶν
Ὕπνος ἥδυμος φοβεῖται·
Ῥοδίνους μοι στεφανίσκους
Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες
Ἀμέριμνοι πυκάζεσθε·
Πόλεμοί τε, στοναχαί τε
Στυγεραί γ' ἐμοὶ πέλονται·
Αἴθε ζωγράφος γενοίμαν,
Ὁμόνοια χαρίεσσα,
Ὡς πρόσωπα καλὰ γράψω
Ῥόδα τῷ γάλακτι μίσγων·
Ὡς κόρος ἁβρὰ γελάσσας
Γεγανυμένος Λυαίῳ
Χλιδανόσφυρον γυναῖκα
Ἀσμένως ὑπαγκαλισθῇ·
Ὡς θεὰν θεῶν φερίστην
Πότνιαν Ὁμοφροσύνην
Πάντες ἐκτιμῶσιν ἄνδρες·
Δῖα σὺ θεαῖνα, χαῖρε
Προσφιλεστάτη βροτοῖσι,
Θαῦμα, χάρμα καὶ Βρεταννῶν,
Μὴ δ' ἀπὸ κρότων, ἀπ' ᾠδᾶς,
Νῦν πεπαύμεθ', ὦ Ἑταῖροι·
Ἀναμέλψομεν δὲ Βάκχον
Φροντίδας διασκεδῶντες.

Nevile King, Coll. Emman.

על השלום אשר נכרתו מלכנו ונגידים אחרים עם מלך צרפת

שיר פשוט ומרבע:

גילו בשמחה כל אמים
רושו לקחו הכנורים:
הודו בשיר את מלכנו
הנותן שלום זה לנו
כי גדול הוא במלחמה
טפסר בארץ אב חכמה
טוב הוא בכסא בין שרים
לומר בקהל הצדיקים
אוהב כל עת ארחות בינה
או בשבט או בצנה:
אשרי מכל גוים עמיו
כי סכך הוא בצל ידיו:
ברכב אויב על ראשנו
היה צר בתוך נפשנו:
בבית הקודש פגולים
הולו את כל המזבחים
כי בגד במאוד מלכנו
נושא יראת שם עושנו
נתן את היכל לאחרים
וישוק מלכת שמים
שנא ישר וכל חקיו
בזה עליון ומשפטיו
אז הגבור חונן דלים
מהרת לראות תמרורים:
אתה במגן הגדלת
אתה מפחים הצלת
עשית ישר לגוים
נתת כבוד לאלהים
על כן כתר על ראשך
כי הלכת בתמך:
כי אם את חלקת נכבדים
בזית על אודת אמים:

במנוחות שאננות דומה
אתה לא טעמת נומה
כי רדפת את אויבנו
במאוד חרבת שונאנו
כי נלחמת לידידיך
כי דרשת טוב עמיך:
לא חפצת כי יגענו
לא שמחת כי רע לנו:
כי אם עתה ימים טובים
נתת מכל ראשונים:
מרים צדיקה נכבדה
על רוב הגלגלים רודה
היא הכינה ארחותיך
היא הצליחה תאוותיך:
ירד שלום משמים
ואחזתנו מערנים
לא יש בארץ מלחמה
ידך לתבל השלימה:
ויחי המלך עד דורים
וימלוך בין הגבורים:
ראו כלם עז ידך
הגידה חכמת לבך:
כי נצחת במלחמות
כן תכון כסא בחקות
מכל במחנות הגדלת
נוראות חיל פעלת
כן תתן לנו משפטים
כן תדע לדין אביונים:
נודוך כי כל יכלת
נודוך כי זאת פעלת:

Tho. Bennet, A.M. Coll. *Johan.* Socius.

-----ΒΑΣΙΛΕΙ τ' ἀγαθῷ, Κρατερῷ τ' αἰχμητῇ.

ΧΑῖρε, φέρων πάντεσσι μέγιστον χάρμα Βρεταννοῖς,
Παυσωλὴν πολέμοιο, Θεοῦ μεγάλοιο ἕκητι,
Τοὔνεκα νῦν τὰ σὰ γέναθ' ἱκάνομεν ὑμνήσαντες
Οἴκαδε νοστήσαντα, (κράτιστε Βρεταννίδος αἴης
Κοίρανε·) καὶ σεβόμεσθα ἀολλέες· εὖ γὰρ ἀοιδαῖς
Μέλπει σε λιγυραῖς Νυμφῶν χορὸς ἀγλαομόρφων.
Ἔθνεσιν Ἀγγλιακοῖς Κρονίδης κακὸν ὦρσε κυδοιμόν,
Ἥρωας πολλούς τ' ἐδαμάσσατο μοῖρα κραταιὴ,
Νῦν δ' ἡμᾶς ἐσάωσας, ἐπεὶ παλάμῃσι τεῇσιν
Ἄρην πορφύρεον καταμάρπτει χάλκεος ὕπνος,

Νήγρε-

GRATULATIO

(Νήχεῖ᾽ ἔνθ᾽ ἠθέλοιτο.) Τὸ σὶ ἔνομα δεῦρ᾽ ἄγε, Φήμη,
Ἱλερμοῦ κύδιστον ἀνὰ ἄστυα πᾶσαν ἄειρε,
Μέμνον᾽ εἰς χώρην γε, πάρ᾽ ἐχατόντα Γαδείρα.
Σκῆπτρον ἔχοις Βρετανῶν, μὴ σὶ Οὐλύμποιο κύριμα,
Τῇ γ᾽ ἀρετῇ πολιὸς, βαίης ὅπι γῆρα ἐδῷ,
Ὦ Πάππε Καρόλοιο θεοείκελον ἔρνος
Μάρτυρος· ὦ Ποιμὴν μερόπων κηρυθαίολε πολλῶν,
Ὄλβιος, ὃς σέρκει σὲ, τερσόλβιος, ὅστις ἀκούει,
(Τόσσα Θεῦ φράξαντ᾽, σὺν ἀνέρος ἔργα βροτοῖο)
Ἀθάνατος ἦ, καλὸν σε χεῖρα φιλέμβυος, ἔσαι.

Petrus Needham, A. B Coll. Div. *Johan.*

Ἔννεπε, Μοῦσα φίλη, Βρετανηϊάδεω Βασιλῆος
Νύσσαν ἀπὸ πολέμοιο κακῆς, καὶ Ὄρκια πιστά.
Ὡς δὶ ἄρ᾽ ὅτ᾽ Ἠέλιος πολιῆς ἁλὸς ἐξανατέλλει,
Ἱμερόεν τε βροτοῖσι φόως Μερόπεσσι δίδωσι·
Τοῖος νοσφίσσατο ἀντίθεος Πολεμιστής.
Εὐνυμβύοι Σωτῆρος ἑῦ δεράμην ἀντίον Ἄγγλοι·
Δώματα δὶ ἀθάνατοι λίπον ἀστερόεντος Ὀλύμπου,
Ἡμετέρου σφὶ δ᾽ ἄρμα ἀολλέες ἦσαν Ἄνακτος,
Ἦισαν, ἀγαυσάμβυοι πινυτοὶν, καὶ χεῖρας ἀάπτους.

Πρωτίστη ἦ κίεν Δημήτηρ, δῖα θεάων,
Παυσάμβυον δέ τ᾽ Ἄρπα μάχης ὀρόωσα, γεωργὸς
Αὖθις τ᾽ ὀκ πολέμοιο σόως ἐς πατρίδ᾽ ἰκέσθαι,
Τερπομβύη φρένας, ἀντιθέῳ χάριν Ὀρχάμῳ οἴδεν.

Ἱλερμῶι Βερμίς τε Πατὴρ Λητῆος ἀγαυὸς
Μαινομβύῃσι παρῆ· Μέθυσός τε μελιφρονι οἴνῳ
Ὄργια ἔναζεν· Πομπίλῳ Σάτυροι δέ τ᾽ ἄεξον.

Δεξιτερῇ ἔπι Φοῖβος ἔχων φόρμιγγα λιγεῖαν
Σπβλομβύλῳ τ᾽ Ἀκτῖσι κόμαν ζαθέης σεφανώσας
Ἦλθ᾽, ἰδὲ θεσπέσιον Παιᾶν᾽ ἐντύνετο γαίων.

Μοῦσαι ἐϋῤῥείταο λίπον Χάρμιο ῥέεθρα,
Ὀξονίου θ᾽ ἱρήν. Ἡφαίστου τ᾽ Ἀγγλιανῆϊο
Πᾶσαι κάρτος ἄειδον ἀμειβόμβυαι ὀπὶ καλῇ.

Johan. Chapman, Coll. Emman.

ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ.

ΚΟΜΑΤΑΣ καὶ ΚΟΡΥΔΩΝ.

Κομ. Πᾶ τὴ φέρεντι πόδες, Κορύδων; Κορ. πυτὶ τὰν πόλιν. Κομ. εἰπὲ,
Λῆς μὰν τὼς ἀγρὼς τήναν τ᾽ ἀγέλαν καταλείπειν;
Οὐκέτι συρίξεις, φίλε Μῶσαις, ὡς ὄκ ἀείσας
Δάφνιν πυκόμβυον, καὶ ἀποθνάσκοντ᾽ ὑπ᾽ ἔρωτος,
Ὡς ὄκα Νυμφάων λάθρη φρένας ἔσχεν ἀνία,
Ὠδύσαντο λύκοι, δῶές τε, καὶ ἀμφάγαι λῖς;
Κορ. Οὐ πᾶν. Κωφός τε, καὶ ὐ δυνατοῖσιν ἀπειθὴς

Κύπελ-

Κύπρις ἔμοιγε μέλει, ὦ, βωκόλε, ὦ ποτὶ Νυμφᾶν,
Πικρὸν οἰστευτῆρα φιλῶ· μελιηδὲ ἀοιδᾷ
(Ὡς γὰρ Μοῖσα κέλευεν ἐμοὶ φρένας ἀμφιπολοῖσα)
Ὑμνεῦμες τὸν Ἄνακτα θεοῖς μακάρεσσ' ὁμότιμον.
Λάσδεο τὰν σύριγγα, βοῶν ἐπίουρε Κομάτα.
Ἄψ ἀπονοστάσαντι καλὸν δὲ μελίσδεο ὕμνον.
Κομ. Πράσσομες οὖν ὡς λῷστα· καὶ ἂν νημερτέα βάξοις,
Ἂν τύγα (βωκολικᾶς γὰρ ἐπὶ πλέον ἵκεο μώσας)
Γαρύσῃς, σκιόεσσαν ὑπὸ πτελέαν δὲ καθίξας,
Ὅσσα μάχαις ὑπέμεινεν ὁ χαλκεοκάρδιος ἥρως,
Ὅσσα φέρει πάτρῃ, τὰν οἰϊδα δῶρον ἀποισῇ.
Κορ. Χαίρετε νῦν, ποταμοὶ Παρνάσω, Χαίρετε, Νύμφαι,
Ἀκροτάτω Ἑλικῶνος ὄρος μεγα ναιετάοισαι,
Ἄλσεα ἠδὲ νάπαι κροταλίσδετε, καὶ φυτὰ πάντα,
Ἀδόνες, ὦ μύρεσθε, μελίσδετε τὰν μιλίφθογγον
Ὠιδάν, Νίκανδρος γὰρ Ἄναξ ἀπὸ δαϊοτάτος
Νόστιμος, ἠνί· φέρει δὲ (θύρας ἐπίθεσθε βεβάλοις)
Εἰράναν, Πλωτόν τε δεδορκότα, δαίμονας ἄμφω,
Πλωτὸς νῦν ἀνέβλεψε, καὶ ὦ συκίνως φιλεῖ ἄνδρας.
Μὴ γοάοισθε, φίλοι βῶται, διὰ χεῖμα δύσεργον,
Νίκανδρος θέρος ἔντ' ὔμμιν, καὶ ἔαρ τριπόθατον,
Ὃς καλὰ πάντ' ἀνάγων νιφετὸν κρυμνώς τε διώκει.
Τὰς οἴας πᾶσάν τ' ἀγέλαν, Νίκανδρε, φυλάξεις,
Ποιμέσιν ἕρκος ἔσῃ, λύκος ἄγριος ἠδὲ τρομάσει
Τὰν κορυῦαν ὁράων γε τεάν, δασύκερκος ἀλώπηξ
Λάσει· φεῦ πόσον ἔντ' αὐταῖς οἴεσσι σέβασμα
Σεῖο παρόντος, Ἄναξ; ὅκα πατρίδα γαῖαν ἀμῦναι
Θωραχθεὶς πλατέεσσιν ἐνίδρυσαι πεδίοισιν
Ἀλλοδαποῖς ἐπιπάγχυ φέρων φόνον ἀνθρώποισιν,
Ὡς ποθὸς ἦσθα φίλων καὶ δυσμενέων μέγα τάρβος,
Οἱ μὰν θαυμάσδουσι τεὸν κράτος, οἱ δὲ φοβεῦνται.
Ζεὺς ὡς εὐσεβέεσσι γλυκὺς, πικρὸς δ' ἀθέοισι,
Τοῖσι μὲν ἔντι φίλος διὰ τὸ κλέος, εὐνοίαν τε,
Τοῖσι δὲ δεινὸς ἰδεῖν διὰ τὰς φλόγας ἠδὲ κεραυνώς.
Τῆν' ἔχε βωκολικᾶς, Νίκανδρε, μελύδρια μώσας,
Δωσῶ, μοῖσ' ὅκα βούληται, πλείω καὶ ἀμείνω,
Ἀρνίον ἠδὲ τεοῖς κάτ' ἔτος βωμοῖσι ἐπιθύσω.
Παρθένοι ἐξ ἀγρῶν, τοὶ βωκόλοι ἠδὲ μελικταὶ
Τὤνομα Νικάνδρω τῶ ἀγακλήεντος ἄνακτος
Τοῖς λιγυροῖς στομάτεσσι μελίσδετε· Γῆ εὐρεῖα,
Ἔννεπε Νίκανδρον, τὺ μάλ' ἠχήεσσα θάλασσα,
Φθέγγεο Νίκανδρον· φθόνον ἐμβαλεῖ ἡρώεσσι,
Πτάσηται ὅκα κῦδος ἀν' ὠρανὸν ἀστερόεντα.
Κομ. Ἀδὺ τεὸν τὸ μέλος, τὰν οἰϊδα λάσδεο δῶρον,
Πλείω Νίκανδρος δώῃ, μώσαις φίλον ἦτορ,
Ὤπασε πολλὰ κλυτοῖς, πόλιν οἳ ναίουσιν, ἀοιδοῖς.

Samuel Cobb, Trin. Coll. *Alumnus.*

ΤΕΛΟΣ.